VIII.
DISSERTATIO
DE
NEGLECTIS QUOAD ACQUIRENDI MODOS FISCI COMMODIS, JUXTA JUS CIVILE ROMANUM, ET MORES MAXIME HODIERNOS, CUM JURIBUS HAMBURGENSIUM COLLATOS;

PRÆSIDE

DN. MICHAELE GRASSO,

U. J. D. & Antecessore, Serenissimi Würtembergici Ducis Consiliario,

Defensa ab AUTORE

JOANNE KLEFEKER, Hamburgensi.

TUBINGÆ, 1710.

Corrippus African. Lib. 2. num. 7.

Cunctis proficiunt sacrati commoda fisci,
Ex quibus est commune bonum, commune levamen,
Tutetur fiscus justorum nemine læso,
Quæ sua sunt, capiat, quæ sunt privata, relinquat
Nec patimur, quemquam sacratum lædere fiscum,
Nec lædi quemquam sinimus sub nomine fisci.

Q. D. B. V.

CAPUT I.

CONTINENS RUBRI EXPLICATIONEM, ET DE COMMODIS AC JURIBUS FISCI IN GENERE DISSERENS.

SUMMARIA.

§. I. *Ingressus.*
§. II. *Fisci homonymia, differentia ab ærario, diversi significatus.*
§. III. *Fisci jurium divisio.*
§. IV. *Modi acquirendi Fisco.*
§. V. *Quisnam habeat fiscum, tum in genere,*

genere, tum in specie in Germania? Definitio regalium, an fiscum habeant Status Jure superioritatis territorialis? an & quomodo Nobiles immediati? an mediati? an civitates municipales omnes? an hodie mero imperio cohæreat jus fisci?

§. *VI. Divisio regalium in majora & minora explicatur.*

§. *VII. Eadem contra objectiones defenditur. Scriptores de regalibus indicantur.*

§. *VIII. Regalia minora hic saltim explicanda esse asseritur.*

§. *IX. Qu. an neglecta sint hodie fisci commoda, sub distinctione expeditur.*

§. *X. Causa impulsiva neglectorum fisci commodorum ostenditur.*

§. *XI. Neglecta fisci commoda in duas classes dividuntur.*

§. I.

DUm de NEGLECTIS FISCI COMMODIS, tam juxta Jus CIVILE ROMANUM, quam MORES præcipuè HODIERNOS, cum PATRIIS quoque JURIBUS HAMBURGENSIBUS collatos, disserere animus est: id mihi ante omnia in ipso tractationis limite negotii datum esse intelligo, ut non modo ex recepto dudum JCtis instituto, rubri explicationem præmittam, sed insimul hac absoluta, singula neglectorum fisci commodorum exempla non ante tangam, quàm de scopo ac intentione, tum etiam de fisci juribus, causisque, ex quibus illi acquiritur, generali præfamine breviter quædam commentatus sim.

§. II.

Quod primum namque attinet, non quidem operæ pretium erit, singula vocabula prolixè describere, cùm satis notum sit omnibus, quid pro COMMODO habeatur, quid NEGLIGERE significet. Sola FISCI vox tanquam palmaria hic aliqua forsan explicatione indiget. Nostrum quidem nec hic erit, diversas Doctorum sententias dixerim an allusiones, tædiosa repetitione in medium adducere, qui fiscum vel inde ita dictum putant, quasi *fixum*, id est *firmum* & *stabilem*, cum semper dives atque solvendo præsumatur. *l. 2. in f. ff. de fundo dotali:* vel quod quasi *saccus reipublicæ* sit, vel fiscum interpretantur esse *cophinum* seu *sportam*, sicque à *Sportulis* nomen habere. vid. Gailius *lib. 1. obs. 20. n. 3.* vel aliis denique derivationibus ingenium exercent. Legat hæc, qui volet, apud Peregrinum *de jure fisci. Lib. 1. tit. 1. n. 34. seqq.* Klockium *de ærario L. 1. c. 2. §. 2.* aliosque quos hanc in rem citant. B. Dn. *Lauterbach* in disput. *de jure fisci c. 1. §. 1.* & B. Samuel Stryckius *de successione ab intestato, diss. 5. c 1. §. 2.* Neque gratiam me initurum fore credo, si circa Synonymiam vocis diu subsistam. Quod enim hodie *Camera.* German. Cämmerey (uti Hamburgensis etiam fiscus appellatur) *saccus publicus, marsupium, camera calculi*, & similes

voces

voces haud paucæ eadem ac fiscus significatione gaudeant, laudati modo Autores cum aliis diligenter jam annotarunt. Inter ÆRARIUM quidem & FISCUM magna, & hæc præcipuè, differentia intercessit, quòd fiscus fuerit Principis, ærarium populi s. ipsius reipublicæ *arg. L. 2. §. 4. ff. Nequid in loco publico* Gail. *d. obs. 20. n. 2.* Besold. *de ærar. c. 1. conclus. 3.* Christianus Frid. Franckensteinius *in exercitat. de ærario populi Romani.* Klock. *d. l. §. 9. seqq.* Berger *de jure fisci in quæst. dubiis §. 1. & 2.* Illustris Thomasius *in D. de regalibus fisci Principum Germaniæ circa acquisitionem c. 1. §. 1.* quod etiam maximè ex hisce verbis Plinii *in Panegyrico ad Trajanum c. 36.* liquet: *At fortasse non eadem severitate Fiscum quam ærarium cohibes! Imò tanto majore, quanto tibi plus licere de tuo, quam de publico credis.* Attamen non sequentibus modo temporibus, postquam scilicet summa rei Romanæ ad unum devoluta fuit, ærariumque pedetentim expiravit Stryck *d. l. §. 5.* & in *usu moderno ad tit. ff. de jure fisci §. 5.* sed hodie maxime omnis inter ærarium & fiscum diversitas planè evanuit. Tob. Paurmeister *D. de Jurisdictione Imper. Rom. l. 2. c. 4. n. 18.* nisi quod quibusdam in locis quædam jura fiscalia Principi ejusque fisco concessa sint, quædam a. administrationi s. ærario statuum Provincialium reservata & dicantur Landschafts-Cassa, Steur-Cassa. vid. Laut. *ad Tit. de jure fisci. §. 3.* & Berger *c. l. §. 3.* sicque bona vacantia in ærarium redigi dicuntur *l. f. C. de bon. vac.* Stryk *dd. ll.* Add. *l. 13. pr. de jure fisci. l. 1. §. 9. ad L. Cornel. de falsis l. 1. C. de quadr. præscriptione §. ult. J. de usucap.* Id verò nostra magis refert, ut, quotuplici sensu in jure nostro vox fisci sumi soleat, dispiciamus. Triplex verò ille est. Nempe I. denotat locum, ubi pecunia publica & omnia instrumenta patrimonii, quod Principi Romano ad ejus dignitatem tuendam & ad usus imperii publicos tributum est, concluduntur *l. un. C. de vendit rerum fiscal. L. 1. pr. verb. ex fisco comparavit. ff. de jure fisci. l. 31. ff. eod.* Bocer *de regalibus c. 3. n. 1.* & sic jus quandoque accipitur pro loco, in quo jus redditur. Peregr. *de jure fisci l. 1. tit. 1. §. 2. & 3.* 2.) significat ipsam rem contentam s. pecuniam publicam s. fiscalem. 3.) ipsam publicarum rerum Universitatem, quæ omnes res omniaque reipublicæ jura ad commodum pecuniarium spectantia complectitur, ita, ut quod in privato est patrimonium, illud in republica sit fiscus. *l. 2. §. 4. ff. Ne quid in loco publico*, qui hinc personæ vice fungitur, sicque contrahit, alienat, & alia similia per Advocatos & Procuratores suos facit. *l. 3. §. 8. L. 5. L. 21. & L. 28. ff. de jure fisci* Laut. *in Disp. de jure fisci c. 1. §. 1.* & in *Collegio Theor. Pr. ad tit. de jure fisci §. 2.* add. omnino Berger *c. l. §. 10.* quæ ultima significatio hujus loci est.

§. III.

Sic itaque fisci s. Ærarii Commoda, prout illa tam Juxta Jus Civile Romanum

manum quam mores præsentes Germanos ex praxi Moderna dissertationis nostræ objectum constituunt, non quidem illa omnia, sed quæ neglecta adhuc esse & fisco nondum plene asserta deprehendimus. Uti verò totum jus nostrum monente Ulpiano *l. ult. ff. de LL.* consistit aut in *acquirendo* aut in *conservando*, aut in *minuendo* hinc etiam, dum de fisci Juribus ac commodis neglectis quæstio vertitur, eadem ratione distinguo cum Lauterb. *ad Tit. ff. de jure fisci* §. 7. *in fin.* inter modos, quibus fiscus sibi acquirit, & jura ac privilegia, quæ vel ad conservationem commodorum ex modis illis acquirendi fisco comparatorum pertinent, vel circa alienationem & diminutionem eidem competunt, quæ etiam distinctio arridet Thomasio *c. D. p. 36.* confer tamen Titium in *obs. ad Schütz. tit. de jure fisci & in specim. Jur. publ. l. 3. c. 3.*

§. IV.

Sic verò hac præmissa rubri brevi explanatione, additoque diverso, quo circa fiscum, ejusque vel commoda vel jura versari potes, respectu, quid mihi maximè in hac tractatione curæ futurum sit, explicandum nunc incumbit; Scilicet non tam circa jura singularia, quæ ad conservandas & alienandas res fiscales fisco tribuuntur, quàm circa ipsos, quibus ille sibi acquirit, modos, occupatus ero, tum quod prolixa nimis futura foret commentatio & disputationis limites excederet, si hæc omnia exiguo paginarum præsentium ambitu velim comprehendere, tum quod unicè in neglectis fisci commodis cardo instituti nostri versetur, ista verò utilitatum publicarum imminutio maximè sese exserat circa ipsam acquisitionem, jura verò circa conservanda & alienanda fisci bona, non modo à commodis strictè sic dictis differant, sed illibata præterea maximam partem & illæsa adhuc hodie manserint.

§. V.

Antequam verò ad ipsos hosce acquirendi modos devolvor, nonnulla adhuc in limine expedienda sunt, quæ ad majorem instituti præsentis illustrationem haud parum facient. Et quidem præcipuè de eo solicitus sum, ut, *quibusnam fiscus, & jura ac commoda inde provenientia tum in genere, tum in specie in Imperio nostro R. G. jure meritoque tribuantur*, dispiciam. Sunt hi indubiè, si generali voce prius utendum, Principes s. ad quos summa reipublicæ pertinet, hinc, qui habet Majestatem, jure fisci quoque gaudet *L. 2. §. 4. ne quid in loco publ. L. 3. C. de quadrien. præscript.* ita tamen ut etiam Majestati analogica potestas fisci jus tribuat, jure sc. superioritatis territorialis, *arg. Instrum. Pac. Osnabrug. art. 8. pr. & §. 4.* Myler. *de Statibus Imperii P. 2. c. 68.* Summæ hujus potestatis partes, uti appellantur, potestativæ sunt REGALIA, quæ alias & commodius quidem, ut nonnullis videtur, JURA MAIESTATIS audiunt, quod non tantum in regno, sed & in aliis rebus publicis penes quas est majestas,

stas, inveniantur, vid. Casp. Ziegler in absolutissimo tr. *de juribus Majestatis L. 1. c. 3. §. 9.* quæ, posthabitis tam veterum anxiis circa definitionem eorum laboribus, quàm recentiorum quorundam, Illustris præcipuè Thomasii, *in dissert. de præscript. regal. ad Jura subditorum non pertinente. §. 8.* eorumque, qui ipsi adstipulantur, novis illa describendi modis, mihi sunt *jura, illi, qui summum in republ. tenet imperium, competentia ad tuendam salutem & dignitatem reip.* Ziegl. *d. l.* Sixtinus *de regal. l. 1. c. 1. §. 20. seqq.* neque me adstringo ad regalia. in *c. un. 2. F. 56.* relata. Augustiora enim multa ibi non recenseri, Viri docti jam pridem observarunt, vid. ex multis Rosenthal *de feudis c. 5. conclus. 94. n. 1.* Vultej. *de feud. c. 5. n. 7.* & solus usus quotidianus diversum sentientes confutaret, monente Heigio *P. 1. quæst. 15. n. 45.* Add. Werlhof. in Disp. *de alienat. & concessione jurium, quæ vocant regalia.* Hinc præsenti rerum Germanicarum statu, ubi juxta decantatam inter Juris publ. Doctores regulam; *Quilibet Princeps tantum in suo territorio potest, quantum Imperator in Imperio,* de qua integra dissertatio extat inter Ahasveri Fritschii *exercitatt. Jur. publ. P. 2. disp. 9.* addi meretur Hertius *de superiorit. territor. §. 10.* præter IMPERATOREM, cui sine dubio regalia competunt Stryk. *de S. A. I. D. 5. th. 1. §. 7.* Sixtinus *de regalibus L. 1. c. 1. §. 12. seqq.* & *c. 4. §. 1. seqq.* (ubi contra Bodinum, falsa multa in Majestatis Imperatoriæ, regaliumque inde dependentium extenuationem proferentem disputat) vi superioritatis territorialis, PRINCIPIBUS AC STATIBUS IMPERII illa, quoad ipsorum territorium merito vindicamus (salvâ tamen semper Imperatoria superioritate Ziegl. *c. l. Lib. 1. c. 28. §. 8.* ubi egregiè hanc in rem disserit, salvis etiam exceptionibus, quoad e. g. *jus vectigalium*, ex Constitutionibus Imperii depromendis, v. Itter. *de feud. Imper. c. 8. §. 13. p. 385.*) Concesso enim territorio, concessa etiam sunt regalia & omnimoda jurisdictio: Schrader. *de feud. P. 10. Sect. 3. n. 1.* Arn. Engelbrecht *de Jurisdict. conclus. 126.* Hertius *de superioritate territoriali §. 8.* Stryk *allegato loco §. 8. & seqq.* ubi in specie etiam CIVITATIBUS IMPERII LIBERIS Immediatis ob paritatem rationis eadem negari non posse probat. Conf. id. in *U. M. ad tit. de jure fisci §. 1. & 2.* & *Instrum. pacis Osnabrug. tit. 8. pr. & §. 4.* add. Sixtinus *de regal. l. 1. c. 3. §. 73. seqq.* Lauterb. *de jure fisci c. 1. §. 4.* & præcipuè Magnificus Dn. D. *Schvveder*, Præceptor ac Fautor meus æternum devenerandus: *in D. de pari nexu civitatum Imperialium cum S. R. I. p. tot.* & præcipuè *cap. 2. §. 7. seqq. & in D. de voto decisivo civitatum Imperialium in Comitiis §. 7. nota a.* multo minus de COMITIBUS & BARONIBUS IMPERII, sessionem atque jus suffragii in Comitiis Imperii publicis habentibus ulla dubitatio superest. add. Reinkingk. *de regimin. secul. & eccles. l. 1. cl. 4. c. 15.* neque NOBILES imperii IMMEDIATOS post allegatum modo *Instr. pac. Osnabrug. tit. 5.*

§. 28. &, postquam superioritas territorialis majori ratione illis tribuitur, quàm denegatur, regalium jure excludendos putaverim. Sixtin. *d. l.* §. 92. *sqq.* Stryk. *d. D.* 5. §. 14. *seq.* siquidem jus confiscandi ipsi dissentientes illis non denegant, sed saltim id contendunt, non ex superioritate, sed ex privilegio & speciali concessione hoc & similia jura derivanda esse, & disputatio adeô non de jure, sed saltim de modo est. Lauterb. *d. l.* §. 5. Ex hisce autem insimul patet, neque NOBILES imperii MEDIATOS, neque CIVITATES MUNICIPALES illis gaudere, inde quod superiorem recognoscunt v. Stryk. & Lauterbach. *all. ll.* Scharf. *in D. de his quæ juribus ac privilegiis fisci perperam accensentur c. 1. §. 5.* nisi vel speciali concessione vel immemoriali præscriptione eadem sibi quæsiverint, Zahn. *Ichnograph. municip. c. 50.* conf. tn. Dn. Schilter *Ex. 50.* §. 5. vid. Stryk *d. D. c. 1.* §. 10. *seqq.* & §. 16. Utut enim merum imperium habeant civitates municipales, huc tamen regalia nullo modo secum comprehendit. Falluntur hinc, qui ad exemplum *civitatum municipalium Saxonicarum*, quibus per *jus provinc. Saxonicum lib. 1. art. 28.* jus bona vacantia occupandi conceditur, idem quoad nostros mores generaliter, sine ulla locorum distinctione, affirmant, sicque non tantum hanc bona vacantia occupandi facultatem, sed cætera quoque fisci jura hodie non amplius tanquam ejus regalia, sed tanquam mero Imperio cohærentia jura, considerant, quorum haud paucos â se allegatos refutat Stryk *d. D. 5. c. 1.* §. 10. & 11. add. Köppen *decis. 28. n. 1.* Mevius in eleganti Commentario *ad Jus Lubec. P. 2.* §. 2. *art. 14. n. 64.* Thomasius *c. l.* §. 6. *p. 21.* Hinc non saltim extra forum Saxonicum ad cujuscunque loci & fori constitutiones respiciendum esse optimè monet. Lauterb. *d. D. de jure fisci c. 1.* § *ult. in f.* Conf. hic Peregr. *de jure fisci l. 1. c. 2. n. 20. seqq.* & nisi intentio Civitatis fundata satis sit, semper pro fisco pronunciandum est juxta tradita Mevii *P. 4. dec. 66.* sed in Saxonia etiam, ob generalem privilegiorum naturam, quòd ne quidem ob identitatem rationis extendi debeant, sed strictim intelligenda sint, jus quidem confiscandi & bona vacantia acquirendi civitatibus merum Imperium habentibus non denego, neque tamen eo me adduci posse fateor, ut mihi persuadeam, easdem propterea omnia & plena jura fiscalia seu regalia minora (De majoribus enim res per se & evidens est.) excluso Principe, quem pro Superiore habent, sibi posse asserere, & sic maximum ferè fisci Principalis proventum ad se trahere. vid. Klock. *de erario l. 2. c. 136.* & autores quos hanc in rem cæterum laudat Lauterbach. in *Coll. ad tit. de jure fisci.* §. 5. quibus addatur Jo. Frid. Scharf. *in d. diss. de his, quæ juribus ac privilegiis fisci perperam accensentur c. 1.* §. 2. *seqq.*

§. VI.

Dùm verò in præcedentibus passim innui, Regalia in MAIORA & MINORA dispesci,

dispesci, forte non modo non injucundum erit aut inutile, sed necessarium planè, & toti tractationi fundamentum velut præbens, si de insigni tam in explicando quam defendendo, quod inter illa intervenit, discrimine lineas aliquot ducam. Definio itaque *regalia Majora* cum *Zieglero* & Doctorum, quibus scilicet divisio hæc regalium ad palatum est, communi ferè choro, quod sint illa, *quæ directè gubernationem & statum ipsum reipublicæ concernunt*, qualia sunt *potestas legislatoria, potestas constituendi magistratus jus belli, jus extremæ provocationis* &c. & Bocero *de regal. c. 2. n. 3.* regalia Majestatis & *personalia*, aliis *personalissima*, quia scilicet personæ & ossibus Principis adhærent, *mere regalia*, ipsi *Coronæ annexa, sacra sacrorum, reservata Principis*, appellantur; vid. Ziegl. *de J. M. L. 1. c. 3. §. 28.* & D. D. Schwed. *in J. P. P. spec. s. 1. c. 4.* § 3. *Minora* verò sunt *commoda, & emolumenta, quæ ex bonis publicis, vel alias ratione imperii, ab eo, qui summum in rep. habet Imperium, percipiuntur, sicque propius spectant jus fisci & reditus Imperantium* Rosenthal *de feudis c. 5. concl. 3. n. 1.* hinc à *Bocero Fiscalia s. jura fisci* appellantur, eodemque adeò recidit distinctio in majora & minora cum nova illa ab eodem Bocero, Philippo Hofmanno *disputatione feudali 5. n. 3.* aliisque substituta, in *personalia* & *fiscalia* vid. Schwed. *in J. P. P. spec. sect. 1. c. 4. §. 3. seqq. p. 263.* Sixtinus *de regalibus l. 1. c. 2. p. tot.* Becmannus in *Meditationibus Politicis, diss. 8. §. 6.* Schwendendorff. *in D. de acquisitione regalium c. 3. §. 6. seqq.* Hæc de explicatione hujus divisionis sufficiant. Nunc de defendenda illa, communi certè, & dudum recepta, cogito, præcipuè ubi ad præsentem dissertationem sola regalia minora pertinere credam, & sic utique cum illis in arenam descendendum mihi sit, qui nullam hic diversitatem agnoscunt.

§. VII.

Neque verò tantum vetustati dandum puto, ut solo ejus præjudicio correptus, & rerum novarum odio agitatus, communem hanc distinctionem meam faciam. Veritate, non defendentium vel numero, vel dignitate, nitendum arbitror. Sunt certè, si hæc aliquid faciant, ex Neotericis non pauciores, quam ex priscis Doctoribus, decantatæ hujus regalium divisionis Patroni, hos verò omnes ea propter silentio involvo, quòd rerum solummodo momentis sententias ponderandas existimem. Argumenta verò, quibus adversarii nostri concertant, partim ex fastidio rerum antiquarum, & nato inde recentium doctrinarum amore, partim etiam ex formato minus recte circa distinguendi modos judicio proficiscuntur. Ad priora quod attinet, fulgur illud ex pelvi est. Oleat distinctio nostra pulverem scholasticum; Vetustati debeatur, novitatem non sapiat: quid inde! oculatius qui intuetur, medios inter pulveres veritatem haud rarò deprehendet. Posteriora vel inde desumuntur,

tur, quod sæpissimè non constet, sub quonam censu hoc vel illud regale veniat. Sed per infinitas instantias vis argumenti prosternitur : imò potius juxta allatam à nobis utrorumque definitionem nunquam hærebit aqua ; vel inde, quòd inter Regalia minora quædam majora incommoda quàm emolumenta fisco afferant ; Quæ verò hæc connexio ! Quædam fisci regalia non sine incommodis sunt, Ergo nulla amplius dantur regalia minora majoribus contradistinguenda ; Potest id insuper ex depravatis subditorum moribus, Principem nimium sollicitantibus, potest ex Ministrorum, Domini sui regalium vigilium haud satis custodum negligentia fieri, quod pro commodis incommoda, pro fructibus spinæ nascantur. Addi solet tertio, singula regalia fiscum adaugere, sed ipsa, quam nec dissimulare audent, distinctio, majora id indirectè saltem & secundario efficere, totam rem perficit. Datur enim discrimen inter majus & minus, eoque ipso, dum regalia majora directo gubernationem & statum reipublicæ, remotè pecuniarium fisci Interesse respiciunt, minora vicissim regimen ipsum nonnisi indirectè, fisci verò commoda propius attingunt, insignem inter illa differentiam esse, quis oculatus non videat ? Quòd verò olim, uti porro objiciunt, inter regalia majora quid relatum fuerit, quod hodie indistinctè commercio privatorum pateat, id quidem primò quoad maximam regalium partem nondum satis constat, plerisque enim antiqua facies mansit ; dein verò hanc mutationem non vitio distinctionis, sed mutatæ rerum publicarum & Germanicæ imprimis formæ ac faciei adscribendam esse in aprico est. Neque id regalium majorum excellentiam præ minoribus minuit, quòd inter illa quædam referri soleant minuta admodum, nec quæ ad nervum rerum gerendarum tam multum, quàm minora regalia subministrent. Sunt & inter illa, quæ maxima appellare potes, nec ludibrio vocabulorum sed ipsorum discriminum inter res diversi generis intercedentium momentis distinctiones metiri debemus. Sic neque illud quidquam ad rem facit, quod in nonnullis provinciis majoribus annumerentur, quæ alibi in minorum referuntur classem vel Regalibus plane non adscribuntur. Temporaria ut plurimum erunt, & à Principum spontanea concessione dependentia, quorum mutata voluntate pro lubitu suo non amplius exercebunt illa subditi, quibus ex singulari ipsis beneficio, quod meritis forsan obtinuerant, per aliquod tempus gavisi sunt. Nec præterea exemplum dari posse puto, ubi Principes regalium majorum communionem iniere cum subditis, id vero forsan sæpe accidit, quod ministerio eorum quædam committantur, ministerium verò mirè quantum ab ipsis regalibus discrepat. Denique nec illa ratione destruetur distinctio ista, quod quidam soli Imperatori regalia attribuant majora, tanquam verè Majestatica, Statibus vero tantum minora, sicque eos eo ipso a Juribus

Maje-

Majestaticis penitus excludant. Quid enim discordia docentium, quid errores, quid nugæ quorundam ad decisionem controversiæ faciunt? Veritas, non error, lites dirimit. Etiam minora regalia originem suam habent a potestate soli Majestati competente. Sufficiat, quod *regale majus vel minus ita dicatur à fine, quatenus vel majestas ipsa, vel præcipuè fiscus inde sibi consulit, id quod considerato cujusque effectu ultimo constare potest unicuique etiam minus exercitato*, docente Zieglero *laud. loco* §. *30. in fine.* qui magis & explicatius adhuc præced. §. 29. id monet his verbis: *Non quod ex regalibus majoribus nunquam quidquam ad fiscum pervenire possit, nec quod ex minoribus autoritas & dignitas Imperantis planè non juvetur, aut illustretur, sed quod in illis principaliter ipsum τὸ κύριον respectu sui, & quatenus tale, occupatum sit, in his vero quatenus externis quibusdam adminiculis & subsidiis moraliter opus habet.* Conf. etiam Hertius *de superioritate territor.* §. *9.* ubi regalium hanc partitionem vindicat. Hæc pro instituto nostro circa regalium divisionem in majora & minora dixisse sufficiat, adeat, qui de singulis, tam majoribus, quam minoribus plura scire discupiat, feudalis juris interpretes, & inter illos Celeb. B. Struvium *in Syntagm. jur. feud. c. 6.* §. *13. seqq.* cui jungendi Juris publici Doctores, qui maximè circa regalia Imperii nostri & varias eorundem intuitu ejus divisiones occupantur, & ii quidem præ cæteris commendandi, qui data opera de Regalibus commentati sunt, præter laudatum sæpius *Zieglerum* & *Hertium*, *Sixtinus*, *Stamlerus*, *Bocerus*, *Prukmannus*, *Conradus ab Einsiedel*, ac *Conradus* & *Benedictus Carpzovii*, qui duo ultimi *Halæ Saxonum 1678.* junctim prodiêre, supra alleg. Schwendendorfferus, & quos alios recenset Celeb. Struvius *Bibliotheca juris selecta c. 6. p. 22.* Jungatur his denique Dn. D. Scheffer. *in Disput. inaugurali de regalib.* superiori demum anno hic habita. Meum nunc est, ut tandem relictis exordiis ad rem ipsam perveniam.

§. VIII.

Atque id quidem jam præsuppono, juxta factam modo & vindicatam regalium in majora & minora distinctionem, posteriora saltim ad forum nostrum spectare. Ipsa enim illa regalia minora, ut vice plus simplici innui, jura fisci secum habent, & qui regalibus fruitur, jus confiscandi sibi etiam vindicat, & commoda, quæ ex fisco suo percipit Princeps, regalium maxime minorum nomine venire consueverunt. Hinc est, quod jus fisci illo etiam sensu hic accipiam, quo sumitur pro *jure, quo quis habet fiscum, & pecuniam ad publicos usus destinatam acquirit, conservat & expendit.* vid. Lauterb. *in D. de jure fisci c. 1.* §. *2.* juxta factam supra §. *3.* distinctionem jura, seu modos potius, quibus fiscus acquirit, & commodorum, quæ inde capere debebat, neglectionem, tanquam unicum tractationis hujus objectum explicaturus.

§. IX.

Antequam verò ulterius progrediar, juvat illam ante omnia quæſtionem diſcutere, quam illi ſine dubio objicient, qui tantum abeſſe putant, ut de neglectis ærariorum ſuorum commodis ac proventibus habeant, cur conquerantur nonnulli ex potentioribus, ut potius regalibus, quæ Majores ad illos transmiſere, haud contenti, nimium quantum vel vetera augendo regalia, vel nova plane effingendo fiſco ſuo cum ſumma aliquando miſerorum ſubditorum injuria conſulant. Et fateor, ſi ad jus venandi reſpiciam, quod hinc inde non modo contra avitos mores privatis in genere ademtum, ſed tot etiam pœnis, ad ultimum ſæpe ſupplicium extenſis, corroboratum quaſi eſt, ſi ad alia quædam, quæ hodie tantum titulo regalium ſibi ſolis adſcribunt præpotentes, oculos intendam, non auſim his contradicere, in quantum illa regalia adaucta & extenſa hodie eſſe dicunt. Sed ſalva tamen res eſt. Primo enim noſtrum nunc non eſt, prolixè inquirere, an vel in conſtituendis novis vel determinandis tam iisdem, quam antiquo jure quæſitis, regalibus adeo adſtricta ſit poteſtas Principis, ut non augere eadem vel ampliare queat? Quæſtio hæc eſt Politicorum, quæ ſi ex ſola Principum poteſtate rem dijudicare velis, affirmanda abſolutè, ſi æquitatem, affirmanda etiam, ſed cum temperamento decidenda. conf. Ziegl. *de J. M. l. 2. c. 14. §. 27. & 28. & c. 19. §. 13.* alibique paſſim, cui jungenda, quæ *Thomaſius c. D.* (paſſim, & in ſpecie *p. 31. ſeqq. nota dd.*) diſſerit. Et in ſpecie, quoad *Jus Venandi* ejusque transgreſſionem, tanquam cum contemtu Principis ut plurimum conjunctam, pœna mortis puniendam, contra diſſentientes diſputat, ut unicum è tot Scriptoribus adducam, B. Harpprechtus, Anteceſſor hujus Academiæ etiam poſt fata Celeberrimus, *in Vol. novo ſ. Tomo II. Conſil. 28. & 77.* Alios multos notat Hildebrand *in Diſſert. de conſervatione ferarum nociva.* Deinde nunquam in mentem mihi ea venit pervicacia, ut moribus hodiernis omnia fiſci commoda neglecta jacere ac imminuta ſtatuere vellem, id ſaltem meum eſt, ut illa recenſeam jura fiſci, circa quorum acquiſitionem vel adauctionem non modo non ſoliciti fuere Principes, ſed contra imminui ac negligi ea paſſi ſunt, quod ex collatione Juris Romani & morum noſtrorum pateſcet, ubi, quando certis in caſibus multum illud fiſco tribuit, hi ejus intereſſe adeò non obſervarunt, ut ante jam Ærariis jure quæſita vel ademerint planè vel admodum reſtrinxerint. Neque tamen etiam defutura exempla, ubi mores noſtri juris Romani circa negligenda iſtiusmodi commoda leges incongruè imitati ſunt. Cæterorum regalium, ubi id oſtendi non poteſt, tractationem, cum rubrum quoque non contineat, relinquam hæc aliis, ego de neglectis fiſci commodis in medium adducendis unicè laborabo.

§. X.

§. X.

Hanc quidem neglectionem fisci commodorum non uni semper causæ tribuendam puto. Id tamen præmonuisse sufficiat, Principes ipsos indulgentissimos sæpe fuisse in salute privatorum propriis commodis anteponenda, quam in rem ipse Imperator JUSTINIANUS *in l. un. §. 4. C. de caducis tollendis*, eleganter ita disserit. *Tantum enim nobis superest clementiæ, quod scientes etiam fiscum nostrum ultimum ad caducorum vindicationem vocari, tamen nec illi pepercimus, nec Augustum privilegium exercemus, sed quod communiter omnibus prodest, hoc rei privatæ nostræ utilitati præferendum esse censemus, nostrum esse proprium subjectorum commodum imperialiter æstimantes.* Qua de causa hoc inter TRAIANI etiam laudes relatum legitur à Plinio *in Panegyrico c. 36.* ubi *Sæpius* inquit: *vincitur fiscus, cujus mala causa nunquam est, nisi sub bono Principe.* Et THEODORICUS Rex: *Fit interdum, mala causa fisci, ut bonus Princeps esse videatur Majori compendio perdimus, quam si nobis indebitè victoria suffragetur.* Cassiodorus *l. 1. epist. 22.* Soli igitur clementiæ æquitatique Principum utplurimum tribuendum, quando fisci sui commodis non adeò student. vid. Thomasius *loc. alleg. not. 1. p. 1.* & qui exemplis hoc comprobat Faust ab Aschaffenburg *in Cons. pro ærario class. V. cons. 9. p. 188.* jung. *cons. 10.* Ex eadem verò ratione neque illis jus denegandum, neglecta hæc restaurare, & in suum suorumque simul, quod inde dependet, subditorum emolumentum, quantum id cum injuria nimia non conjunctum, adaugere, optime sc. cum Illustri Thomasio *c. l. c. 1.* §. 2. duo *extrema* cavenda mihi ratus, ne vel *studio adulandi Principibus* persuadeam, omnia licere fisco, quæ Principi lubuerint, vel *studio indulgendi populo simpliciter* doceam, *causam fisci odiosam* vel indistinctè *contra fiscum pronunciandum esse*, conf. Scharff. *all. Disp. c. 1. §. 8. seqq.* quanquam, quod litem attinet quam Thomasius Bergero ob editam *Diss. de jure fisci in quæstionibus dubiis* movet, meam non facio, sed utriusque sententiæ momenta illis ponderanda relinquo, quibus causæ inter fiscum & privatos intercedentes decidendæ obveniunt.

§. XI.

Et sic per longas tandem ambages ad OBIECTUM dissertationis præsentis, ipsa sc. NEGLECTORUM FISCI COMMODORUM, quæ MORES maxime HODIERNI nobis præbent, exempla propero, & quidem prout MODI ACQUIRENDI diversi sunt, ita fisci quoque commoda dispesco in illa, quæ GENERALITER, & quæ SINGULARITER illi proveniunt. Adsit labori huic, quo studiis simul Academicis colophonem impono, SUMMUM NUMEN divinâ, quam hactenus clementer largitus est, gratiâ, viresque ingenii sublevet atque sustentet. Tu verò B. L. iis, quæ pro modulo ingenii in difficili sane & arduo argumento allata a me

ſunt, fave, iisque, quæ non ad amuſſim forſan examinata tibi videbuntur, eatenus ignoſce, ne ſeverius, quam par eſt, de Specimine Academico, pro viribus ſaltim explorandis exarato, judices.

CAPUT II.

DE NEGLECTIS FISCI COMMODIS QUOAD MODOS ACQUIRENDI GENERALES.

SUMMARIA.

§. *I. Modi acquirendi generales definiuntur, & ſpecialibus contra diſtinguuntur.*

§. *II.* De modo acquirendi generali primo COLLECTIS, & IMMUNITATE *ab iisdem, quæ*

§. *III. Non quidem omnis & quæcunque ſed*

§. *IV.* CLERICORUM *ſaltim immoderata inter neglecta fiſci commoda refertur.*

§. *V. Clericus definitur, Immunitas hic intelligitur realis, ejus definitio ex Jure Canonico, quid Jus Civile hic ſtatuat? Conſtitutio Friderici. l. 2. C. de Epiſc. & Cleric. illuſtratur.*

§. *VI. Qu. An hæc immunitas etiam ad bona Clericorum patrimonialia extendenda ſit? evolvitur, & pro negativa tandem deciditur.*

§. *VII. Nihilominus tamen oſtenditur, inſigne detrimentum manere arariis, quod bona immobilia poſſideant Eccleſiæ & Clerici. Diſtinctio inter collectas ordinarias & extraordinarias, de conductore bonorum Eccleſiaſticorum, eorumque immunitate, quæ limitatur in emphyteuticariis.*

§. *VIII. Nec huic obſtare ſecularisationem hodie permiſſam,*

§. *IX. Sed ſtatutis adhuc opus eſſe, uti in quibusdam jam locis vigent, quorum valor contra oppugnantes defenditur. An in primitiva Eccleſia bona immobilia poſſederint Eccleſiæ? An Sacra Scriptura, præcipue Matth. XVII, 26. Clericos immunes eſſe velit? Sarpii & Klockii judicia de hac immunitate inſeruntur,*

§. *X.* De modo acquirendi generali ſecundo JURE VECTIGALIUM, *quæ tam quà conſtituenda, quam quà conſtituta ad regalia minora pertinent. Definitio vectigalis.*

§. *XI. Quomodo hic fiſci commoda negligantur? De immunitate remiſſivè. De pœna commiſſi primariò, & quidem.*

§. *XII. Primo qu. quænam res de Jure Civili in commiſſum cadant. 2.) an ipſo jure? 3.) an ſententiâ declaratoriâ opus ſit.*

§. *XIII. 4.) quænam actiones fiſco competant? 5.) requiſita neceſſaria ſc. dolus, omiſſa profeſſio mercium, an hæc etiam à perſonis immunibus facienda? an prævia admonitio publicani*

cani necessaria? an solutionis oblatio requiratur? an aliam viam eligere possit vector?

§. *XIV. An pœna commissi apud Germanos recepta? an in Saxonia obtineat? num Lubecæ? num Hamburgi?*

§. *XV. An observetur rigorose? quod neg. 1) in casu, ubi auriga vectigali non solvit, quo nempe Domini merces non confiscantur.*

§. *XVI. An Jus Civile cum observantia morum nostrorum conspiret? quomodo hic dissentiant auctores? utriusque sententiæ argumenta.*

§. *XVII. Præjudicia contra fiscum ex praxi deprompta.*

§. *XVIII. XIX. 2.) in casu bino, ubi neque merces licitæ cum illicitis, neque immunes cum munibus mixtæ confiscantur.*

§. *XX.* De modo acquirendi generali tertio ex JURE CIRCA FLUMINA PUBLICA, *cujus neglectus ostenditur 1.) ex Jure* ALLUVIONIS

§. *XXI. 2.) ex* ALVEO *in universum* DERELICTO.

§. *XXII. An etiam ex* INSULA *in flumine nata?*

§. *XXIII. 3.) ex* LAPILLIS *& similibus in littore inventis.*

§. *XXIV. quid circa* METALLIFODINAS *singulare?*

§. *XXV. de modo acquirendi generali 4.) ex* THESAURIS, *quibus casibus illos fisco relinquat Jus Civile? quid per artes magicas intelligatur? an etiam virgula mercurialis eò referenda? Capitulum 2. F. 56. explicatur & illustratur.*

§. *XXVI. quid moribus obtineat? Grotio thesauros quoscunque fisco addicenti respondetur, præjudicio Camerali, statutis Germanicis, moribus Gallorum, Lusitanorum, Belgarumque ipsorum refutatur, Angliæ, Scotiæ & Daniæ jura adduntur.*

§. *XXVII. Thesaurus in loco religioso inventus hodie non fisco sed Ecclesiæ cedit.*

§. *XXVIII. Conclusio capitis sit qu. an proprietas riparum privatis relicta inter neglecta fisci commoda referenda sit?*

§. I.

FActâ igitur sub finem præcedentis capitis neglectorum fisci commodorum in duas Classes distinctione, quæ singula explicare nunc ingredior, initium non malè fiet, si emolumenta, quæ GENERALI JURE fiscus sibi *acquirit*, primum recenseam, quibus inde solis enumerandis præsens caput destinaturus sum. Ut verò ante omnia de illo constet, quid scilicet per generales illos modos & causas intelligam, describo istos cum B. Lauterb. utpote cui totam hanc divisionem debeo, ita, ut sint *tales, qui respiciunt totum territorium, & omnes in eo viventes*, non quòd reliquas acquirendi causas non vi territorii Principibus

competere ſtatuam ; Sic enim mihi ipſi adverſaret, qui ſingula fiſci regalia ex ſuperioritate iſta territoriali originem poſſe ducere, ſupra memoravi, ſed quòd in eo invicem differant, quod SINGULARES illi ACQUIRENDI MODI quos ſequenti ultimo capite tractabo, *certas* tantum *perſonas* in Imperio primariò attingant, ſicque non quidem extraordinario modo, remotiori tamen reſpectu ad ipſum territorium referendi ſint, quòd ubi ſingula quædam exponendo in rem præſentem ivero, dilucidius ac evidentius pateſcet.

§. II.

Inter hoſce verò acquirendi modos generales præſtantius certè & quod emolumentis fiſci omnium maximè conſulere deberet non habemus, quam regale COLLECTANDI ſeu COLLECTAS IMPONENDI POTESTATEM, (conf. Fauſt. ab Aſchaffenburg *in conſiliis pro ærario claſſe IV. conſ. 260. p. 153. a in medio*) cui adeo primum merito locum conſecro. Sunt quidem collectæ variæ & prout vel *perſonis vel rebus* imponuntur, diverſas etiam appellationes aſſumunt, ita ut mox *tributorum*, mox *indictionum*, mox etiam generali *collectarum* nomine veniant, conf. ab Aſchaffenburg *in d. Conſiliis pro ærario claſſe IV. conſ. 235. ſqq. p. 140. ſeqq.* jung. *conſ. 258. 259. 260. p. 152.* ſed hæc in præſentiarum non magis curo, quam quæ alias vel circa *perſonas imponentes*, vel *modos imponendi* præcipuos & maximè uſitatos a Doctoribus tam privati quam publici juris prætermitti conſueverunt. Hæc enim præſuppono, & ut, qui his inſtructi nondum ſunt, quæ circa titulos *de muneribus & honoribus*, itemque *de vacatione & excuſatione munerum*, commentatores juris civilis monent, Politices verò & publici juris, imprimis argumenti de *regalibus* ſcriptores magno ſtudio, nec minori eruditione quam facundia congeſſerunt, legant relegantque ſuadeo. Id ſaltim hic indigito, fiſci commoda ac emolumenta, quorum ſc. cauſa collectæ indici ſolent, per nimiam ab illis *immunitatem*, perſonis quibusdam per modum privilegiorum concedi ſolitam, imminuta valdè eſſe adeoque neglecta, ut vix collectarum titulum præ ſe ferant

§. III.

Non quidem ea mihi mens eſt, ut omnem a tributis immunitatem damnare vellem. Potius, qui collectas imponit, pro approbatis circumſtantiis & cauſis indulgentiæ, quas æquitas & clementia ſæpè ſubminiſtrat, ab iisdem quoque *immunem* declarare poteſt, quemcunque velit. per *l. 11. de Vacat. & excuſat. muner.* ibi: *nam ne hujus quisque excuſationem præter eos, quibus principali beneficio conceſſum eſt, habet l. 1. l. f. ff. de cenſibus l. un. C. de his qui a Princ. vac. mun. accep.* & Princeps non ſolum ejusmodi immunitates in proprium præjudicium optimo concedit jure, ſed etiam hæredes illis obligat, ſi privilegium ſit reale, Klock. *de contributionibus lib. 2. c. 16. n. 13.* Hinc PAU-

PERTAS

PERTAS interdum justa ad excusationem impetrandam causa est, & pro iis jamdiu respondit *Ulpianus in l. 4. §. 2. ff. de mun. & honor.* vid. Ziegler *de Jur. Maj. Lib. 2. c. 2. §. 3. seqq.* TEMPORARIA verò saltim, & quamdiu rerum inopia tale patrocinium præbet, uti disertis verbis legitur in dicta *l. 4. §. 1. eod. deficientium facultatibus ad munera vel honores qui indicuntur, excusatio non perpetua, sed temporalis est. Nam si ex voto honestis rationibus patrimonium incrementum acceperit, suo tempore an idoneus sit aliquis ad ea, quæ creatus fuerit, æstimabitur.* Quamquam enim de muneribus *personalibus* hæc lex loqui videatur, cum par tamen utrobique quoad hoc punctum (de cæteris enim non est disputatio) ratio militet, de *realibus* etiam s. *patrimonialibus*, quorum in classem Collectæ veniunt omnes, idem pronuntiandum arbitror. Hinc, quod extra casum negotiationis, *Legati Principum, Nobiles* vid. Faust. ab Aschaffenburg *Cl. IV. cons. 303. Doctores, Advocati, Studiosi*, &, quorum pariter eadem hic ratio esse solet, similes personæ à Vectigalibus & Collectis ut plurimum, maxime quam diu apud exteros versantur hi ultimi, & inter patrios Lares pro absentibus computantur, justam mereantur excusationem, id tantum abest, ut iniquitatis arguam, vel adeo magnum inde detrimentum fisco conciliari existimem, ut potius ob justitiam & provenientes ex similibus concessionibus aliorsum utilitates majores longe ac excellentiores, illas non modo laudandas, sed etiam commendandas, & contra audaciam exactorum defendendas reputem, uti in specie consuetudinem, qua Studiosorum privilegium hac in parte quibusdam in locis non attenditur, tanquam perversam & irrationabilem merito rejicit Rumelinus *ad A. Bull. Diss. 8. thes. 21. inf.*

§. IV.

Ast meum saltem est ostendere, quam inique immoderatam a quibuscunque oneribus & collectis exemtionem sibi asserant CLERICI, & quomodo cum summa fisci injuria inter Pontificios maximè Principes, Juris Canonici & Clericorum doctrinas secutos, (inter Protestantes enim, quæ Dei gratia est, immoderatam talem immunitatem ignorare cepimus) ingens atque insignis proventus ex prædiis ecclesiasticis, ubi illa seculari jurisdictioni subessent, in ærarium publicum perventurus, subtrahatur illi, non olim modo, sed, quod dolendum, hodie etiamnum, non quæsito alio huic immunitati colore, quam præstantia dignitatis ecclesiasticæ, Faust ab Aschaffenburg *d. l. cl. 5. cons. 2. p. 177. inf.* quæ nullam velut potestatem secularem agnoscit, & bona, dolosis sæpe machinationibus rapta, ubi semel gremio ecclesiæ, vel personæ Ecclesiasticæ, addictæ fuerint, omni ad exsolvendas collectas obligatione exuit.

§. V.

CLERICUM autem hic sumo in sensu stricto & canonum proprio, quo *Cleri-*

cis

rici appellantur *personæ Ecclesiasticæ*, *quæ sacris obeundis ministeriis*, *cultuique divino peragendo certâ quadam inauguratione*, *ritè consecratæ & mancipatæ eoque ipso contradistinctæ* Laicis, qui functionibus Ecclesiasticis nec destinati, nec addicti, nec religionis Voto adstricti temporalibus vacare libere possunt. *c. Clericus 5. c. duo sunt genera. 7. caus. 12. qu. 1.* Magnificus Dn. Præses, Præceptor & Patronus ætatem colendissimus, *in Diss. de negotiatione Clericorum prohibita c. 3. p. 12.* Quo ipso tamen etiam complector EPISCOPOS, PRÆLATOS, CANONICOS & OMNES ECCLESIASTICOS; Juxta *Canonistarum* enim distinctionem in MATERIA FAVORABILI, qualis indubiè jactata hæc immunitas est, sub Clericorum designatione omnes Ecclesiastici, cujuscunque illi ordinis s. dignitatis sunt, comprehenduntur, ubi obtinet, quod vulgo dicitur, *Episcopus est, Ergo Clericus.* Panormit. *in rubr. de vita & honestate Clericorum n. 4.* in MATERIA vero ODIOSA tantum inferiores Clerici intelligendi. *arg. c. odia 15. de R. J. in 6.* vid. omnino Dn. Præses *c. l. p. 13.* Hæc de Clerico. Nunc qualem IMMUNITATEM hic intelligam, videndum. Scilicet non de PERSONALI, sed de REALI seu PATRIMONIALI sermo mihi erit. Hanc ita definire solent, quod sit *immunitas, per quam res ecclesiasticæ à censu vel collectis potestatum secularium liberæ redduntur. c. 1. §. Volentes de immunitate Eccles. &c.* in *sexto* ibi: *Decernimus, non licere præfatis communiis, Scabinis & iis, qui in eis jurisdictionem temporalem obtinent, vel justitiam temporalem exercent, tallias vel collectas, seu exactiones quascunque ecclesiis vel NB. personis Ecclesiasticis imponere, vel exigere ab eisdem pro domibus, prædiis vel quibuscunque possessionibus ab eisdem Ecclesiis vel personis Ecclesiasticis legitimè hactenus acquisitis vel in posterum acquirendis, etiamsi ipsæ Ecclesiæ vel personæ vel res sint intra illorum districtum vel territorium constitutæ.* Add. *Clementina Præsenti 3. de censibus. c. 7. x. d. Immunit. Eccl. & c. 3. eod. in 6.* ubi Papa BONIFACIUS VIII. excommunicationis fulmen decernit non tantum in Laicos, qui imponunt, vel sponte data recipiunt, sed ipsos etiam Clericos dantes & obsequium præbentes. vid. Ziegl. *de jure Maj. l. 2. c. 2. §. 17.* ubi Juris Canonici in hac materia progressum eleganter indicat monetque §. 18. *Jus Civile hac in parte adstrictius, Canonicum laxius procedere.* Illud enim si respiciamus, certè ante tempora FRIDERICI II. IMPERATORIS talis, qualis hodie jactatur, immunitas incognita planè fuit. Constat id ex Textu *l. 3. C. de Episc. & Cleric.* ubi CONSTANTINUS *Clericos pro his prædiis, quæ ab ipsis possidentur, ad pensitanda fiscalia perurgeri, eademque ab illis recognosci jubet.* Et FRIDERICUS demum II. per novam constitutionem, cujus verba post *l. 2. C. eodem* leguntur, sub pœna tripli & Imperialis banni prohibuit, *ne quisquam collectas vel exactiones, angarias vel parangarias Ecclesiis vel aliis piis locis aut Ecclesiasticis personis imponat, aut invadere*

dere Ecclesiastica bona præsumat. Quam quidem Constitutionem HONORIUM III. PONTIF. à FRIDERICO expressisse, quo die eum diademate Imperatorio insignivit, ex Duareno refert Zieglerus *c. l.* §. *16.* eandem tamen ob bella mox inter utrumque exorta nunquam receptam fuisse putat Molinæus *ad l. 5. C. de SS. Eccles.* vid. Ziegl. *d. l.* conf. Rutg. Rulandus *de Commissariis p 4. lib. 2. c. 6.* Bocerus *de Collectis c. 11. n. 16.* Reinking. *de regim. sec.* & *eccles. l. 2. cl. 3. c. 3.* aliique, quos citat B. Harpprecht *in Consilio Tubing. 23. n. 209.*

§. VI.

Sed ardua jam & difficilis multum quæstio subnascitur, *an hæc immunitas saltim ad* BONA ECCLESIASTICA *restringenda; an vero etiam ad bona* CLERICORUM PATRIMONIALIA, cum summa quidem Principum ipsorumque fisci diminutione, extendenda sit. Agitata hæc magna contentione est à Jurisconf. celebribus, & tam pro affirmativa quam negativa strenuè concertatum est. Ita post Pontificios ferè omnes Clericis immunitatem indistincte cum aliis (quos largo numero recenset Harppr. *Cons. Tubing. 48. n. 27.*) concedit Klockius *de contributionib. c. 12. §. 62.* & multis seqq. & dissentientium argumenta magno studio refutare contendit, hæcque adeò ampliat, ut bona, quæ antea erant allibrata den Steur- und Anschlags oder Einlag-Registern einverleibt, ubi justo titulo postea in ecclesiam, vel Clericum (par enim hic semper procedit ratio) translata fuerint, eo ipso eximantur ipso jure ac perinde sit, ac si non registrata essent. Uti etiam in pluribus tribunalibus ita fuisse pronunciatum recensetur à Tessauro *Decis. Pedemont. 234.* vid. Harppr. *d. cons. n. 30.* qui tamen quoad hæc bona semel illibrata contrariam sententiam insigni auctorum numero firmat. *n. 33.* Denegant contra hanc immunitatem Clericis plurimi Neotericorum, quos inter præcipui sunt B. Carpzov. *in Jurisprud. Consist. lib. 2. def. 311.* Ziegl. *allegato l. §. 18. seqq.* B. Harpprecht *laud. consil. 23. n. 242. seqq. j. cons. 48. d. l. seqq.* Magnif. D. D. *Schvveder in J. P. parte spec. sect. 2. c. 12. n. 11.* Müller ad Struv. *tit. de vacat. & excusationib. muner. th. 73.* Stryk. *ad Brunnem. Jus eccles. l. 2. c. 3. p. 33.* ipseque Klockius *c. 14. §. 1. n. 23. seqq.* sententiam suam antea propositam eo casu limitat, ubi prædia in libro æstimi s. communis registri quibuscunque oneribus & collectis obligata sint, quod tamen quomodo cum priori generali assertione conciliari possit non video, nisi priori loco illum de bonis ecclesiasticis, hoc verò de propriis & patrimonialibus, propria scil. Clericorum pecunia emtis, vel alio modo comparatis, loqui intelligam Nostra non attinet, prolixè quæstionis hujus momenta discutere. Interim brevibus sententiam meam declarabo, & quidem non diffiteor, si Jus Canonicum & generalitatem textuum respiciam, speciosam nec admodum improbabilem videri sententiam eorum, qui etiam bonis Clericorum patrimonia-

libus immunitatem istam tribuunt, siquidem nullius ibi unquam distinctionis vestigia reperias; Generalis verò dispositio generaliter est intelligenda *l. 1. §. 3. ff. de aleat. l. 1. §. cum urbem ff. de officio præfecti urbis.* Hinc etiam in terris Principum Pontif. relig. addictorum, ubi non contrariis statutis vel alio modo prospectum est, sed jus Canonicum in viridi observantia viget, Clericos hanc immunitatem cum summo fisci Principalis detrimento sibi vindicare non dubito. Neque tamen inde adduci possum, ut huic accedam sententiæ, contrariam potius meam facio, siquidem non modo argumenta ab hujus assertoribus allata non levia certè sint sed ponderis maximi, præcipue ubi jus Civile hac in parte sequi velim, quod præter illam constitutionem Fridericianam cum jure Canonico nunquam videbis conspirare; prætereaque etiam juris Canonici Textus, licet generaliter concepti, de illis saltim possessionibus restrictivè videantur intelligi debere, quæ Clerici quà Clerici possident, Patrimonialia verò & privata bona ad illos non pertinent quà Clericos, sed quà velut Laicos, & sic res transit cum suo onere. *l. cum possessor §. 1. fin. ff. de censibus L. alienatio 67. ff. de contrah. emt. l. 20. §. 1. ff. de A. R. D. l. 23. §. pen. de S. P. R.* & onus tributi fundum sequitur. *l. 2. l. 3. C. de annon & tribut. l. 7. de publicanis.* Nec conditio novi possessoris aliquid mutare debet ex tributorum pro rebus solvendorum conditione Mevius *P. 4. dec. 106. n. 4.* Hoc concernit interesse fisci, in cujus diminutionem nihil admittendum. Idem *d. l. n. 10.* conf. Andr. Knichen. *de Vestit. pact. p. 2. c. 3. n. 38.* Nicolaus Everhard *Cons. 30. n. 25.* adeoque bona tantum ecclesiastica, ut quæ sola divinis usibus destinata, & ad usus humanos haud transmissibilia per *c. 51. de R. J. in 6to.* Richter *ad Auth. Item Nulla C. de Episc. & Cleric.* quocunque demum illa titulo talia facta, canones comprehendere putaverim, æquior præterea hæc est opinio, nec ullum superest dubium, quin immunitas Clericorum a Principe restringi atque determinari possit, hodie potissimum, ubi jugum papale non adeo agnoscimus, ac olim, sed illo excusso salutem magis reipublicæ, quam Clericorum opulentias sectamur. Egregiè hanc in rem disserit Ziegl. *d. c. 2. §. 22.*

§. VII.

Interim quicquid hujus sit, si vel etiam patrimonialia Clericorum bona, maximè apud nos, ex classe rerum immunium relegem, & sic insignem fisco proventum reddidisse videar, adhuc tamen insigne damnum manet ærariis, postquam semel bona immobilia possidere cœpit & Ecclesia & Clericus, hæcque ad se rapiendo & juxta juris Canonici principia bonorum Ecclesiasticorum titulo semel insignita nunquam reddendo, sed pro rebus velut extra commercium seculare positis habendo, commoda fiscalia maximam partem imminuit. Quod quidem prolixa demonstratione opus habere non arbitror, siquidem expe-

experientiam quotidianam, velut optimam rerum magistram, consulturo satis constabit, quàm non modò de conquirendis tam sibi quam Ecclesiæ immobilibus bonis anxii atque solliciti sint Clerici, sed illa etiam, maximè ubi in dotem Ecclesiæ data fuerint, quod certe nunquam non simulabunt, ab omni onere immunia esse volunt, sicque, dum opulentis sæpè prædiis potestatem secularem exuunt, ærarium simul insigni proventu destituunt vid. Ziegl. *d. l. §. 26. seqq.* ubi sub variis distinctionibus, an & quatenus hodie immunia sint bona Ecclesiastica, & numne facto, an verò jure id fiat eleganter examinat. add. id. *§. 32. pr.* Et cum JCtis Marpurgensibus im Rechtl. Bedencken der Anlag: Contribution ap. Rövestrunck. *qu. 1. m. 2. n. 40. seqq.* distinguere Mavult Eberh. Fabricius in repetit. Gail. *l. 2. O. 52. seq.* inter collectas *ordinarias & extraordinarias*, necessitatis causa indictas, & quoad *illas* eos immunes vult, Gailium *d. l.* ita interpretatus; quoad has v. eos omnino teneri adstruens, eam in rem quoque ex Pontificiis allegans Molin. & Lessium *dd. ll.* prout etiam alios, pro sententia simpliciter exemptionem hac in parte negante *ibid.* adcitat. Add. Faust. ab Aschaffenburg. *in consil. pro ærario Classe VII. cons. XV. p. 289. & cl. 20. cons. III. p. 997. seqq.* Accedit, quod etiam conductores bonorum Ecclesiasticorum hanc immunitatem velut rei cohærentem ad se transire asserant, idque ideo, quia si præter pensionem, quam Ecclesiæ solvunt, oneribus se gravatos viderent, vel renuntiarent bonis illis, vel minoris vellent conducere, uti concludit. Carpz. *J. P. Consistor. l. 2. def. 310.* ex eoque Mevius *p. 8. dec. 376.* vid. Stryk. *ad Brunnem. jus Eccles. l. 2. c. 15. p. 508. ad §. 7.* quod tamen de illis, qui emphyteuseos jure possident, ex prægnantibus rationibus negat Harppr. *laud. Cons. 48. n. 40. seqq.*

§. VIII.

Forsan autem hic objicietur: Ast hæc hodie longè aliter sese habent, postquam non modo licentia *bona Ecclesiastica secularisandi*, maximè ubi necessitas vel urgens utilitas reipublicæ id exigat. vid. Mauritius *D. de secularis: bonor. Eccles. c. 4.* & Magnif. Dn. Præses *in Collat. J. C. cum R. I. sect. 2. th. 1. per tot.* Per Instrumentum pacis Osnabrugensis restituta quasi est, sicque bona Ecclesiastica non amplius ab omni alienatione immunia dicenda sint, per consequens etiam bona iterum secularisata in censum referantur, tributaque ex illis pro viribus patrimonii præstanda sint, uti de feudis Imperii secularisatis id in specie ostendit Mauritius *d. l. c. 10. §. 2.* Sed respondeo, quicquid hujus sit quoad secularisata illa bona, quorum insuper non adeo magnus est numerus, procedunt tamen ista omnia, quæ dixi, adhuc quoad cætera, maxime inter Pontificios, ubi tam exosum hodie ac olim secularisationis vel bonorum Ecclesiasticorum alienationis nomen est. (vid. tamen Conring. *in animadv. ad*

Bullam Innocentii c. 6. p. 182.) Certè tituli Juris Canonici *de rebus Ecclesiæ non alienandis & de immunitate Ecclesiarum* regulariter in viridi sunt observantia, nec ab illis disceditur, nisi in summis vel reipubl. necessitatibus vel evidentibus Ecclesiæ utilitatibus, vid. Magnific. Dn. Præses *c. l. p. 4. seqq.* ubi insuper cogi non posse Clericos statuunt, sed a spontanea illorum concessione, nec inconsulto Pontifice, id dependere contendunt, *p. c 7. versus 7. §. verum. tit. de immunitat. Eccles.* quanquam id Protestantes non agnoscunt, sanioribus imbuti principiis, licet etiam apud illos bona Eccles. difficulter alienari certum sit. Carpz. *Jurispr. Consist. L. 2. def. 302.* quoties verò de Ecclesiarum & Clericorum nimiis tam divitiis quam immunitatibus, fisci ut causam defendam, conqueror, æraria maximè Principum Pontificiorum, quam nimium adhuc hac in parte exhausta sint, ostendere allaboro.

§. IX.

Et quæso, nisi hoc nimis serò perspexissent Principes, & quantum ex prædiis seculari potestati exemtis, ubi dein immunia illa reddita fuerint à Collectis, onusque tributorum ad solos pauperes & miseros subditos, ferendis illis impares ac impotentes, devolutum, ærariis suis decesserit, intellexissent, ecquid opus erat tot statutis, quibus istam Ecclesiarum & Clericorum rapacitatem refrænarent. Innuo hic nempe leges quibusdam in locis tam olim, quam hodie promulgatas, quibus, ne prædia & bona immobilia in Ecclesiam amplius, aut viros Ecclesiasticos, quocunque titulo transferrent, prohibuerunt. vid. Bodinus *de republ. lib. 5. c. 2.* quale de VENETORUM republica exemplum refert idem, quod scilicet non modo Ecclesiasticis collegiis prædia jurave prædiatoria in posterum denegaverint, sed etiam Ecclesiæ legata distrahi, aut nisi distraherentur, fisco addici jusserint, ex eoque Klockius *de ærario l. 2. c. 47.* ibique Pellerus *in notis* Venetos contra Jesuitas aliquando hanc consuetudinem pro aris & focis vindicandam sumsisse addit: de LUSITANIA ex Molina *tr. 2. disp. 140. de Iust. & Jure* & MEDIOLANO, idem constat. Klock. *de contribut. c. 12. n. 89.* In GALLIA tertia pars bonorum ad Ecclesiasticos translatorum Principi cedit. v. Goldast. *Monarch. Rom. f. 292.* Priscis ALEMANNORUM moribus non licebat agros fiscales aut prædia, quæ censum Principi solverent, ad ullam Ecclesiam transferre, sed Comitis Consensus requirebatur, cujus erat, donationem rescindere, quæ principalium redituum detrimento facta esset, Joach. Vadianus *de Colleg. & monaster. German. l 2.* apud Goldast. *Tom. 3. rerum Alemann. f. 44.* confer Klock. *de contrib. d. l.* Magistratus ULTRAJECTINI decretum exhibet Mart. Schoockius *in tr. de bonis Eccles. Sect. 1. c. 9.* Statutum JULIACENSE, quod subjectos vetat bona sua immobilia den Geistl. zu verschreiben, in Camera approbatum d. 3. Octobris Ao. 1560. Klock. *d. l.* de Co-

LONIA idem refert Besold. *V. 6. cons. 278. n. 34.* & Knipschild. *de Civitat. Imper. liber. l. 2. c. 10. n. 54.* ARGENTINÆ quoque & FRANCOFURTI idem servari audivisse memini. Ab his Statutis non absimilia sunt illa, quæ quidem alienationem in Ecclesiam permittunt, non tamen facile in perpetuum, uti exemplo Civitatis HALÆ MAGDEBURGICÆ quoad *rem Salinariam* illustrat Schwendendorf. *de manu mortua Thes. 7.* ex eoque Excell. D. Böhmer. *in Jure Parochiali sect. 5. c. 1. §. 24. in fin.* Singulare etiam Statutum LUBECÆ viget, ubi ad exemplum peregrinorum monasteriis & Clericis, jurisdictionem civitatis non agnoscentibus, comparatio ædium in civitate prohibetur *l. 1. t. 2. a. 6.* Stiffte und Clöster, auch andere Persohnen, welche unsere Bürger nicht seynd, sollen nicht mehr Wohnung in der Stadt Lübeck bauen als jetzo stehen, ihre Reume auch die sie nun haben nicht erweitern noch grösser machen, sondern lassen wie sie sind, sollen auch ihre Häuser, Höfe und Wohnungen nicht von der Stätte, da sie jetzo liegen, auf andere verändern, oder mit ander vorbeuten, dann solches keinem, wer der auch sey, in keinerley Weiß verstattet oder verhänget werden soll. conf. ibi: Mevius, qui *p. 139. a. in addit. ad n. 17.* Hic sine dubio capitulum ejusque membra, quæ sunt Lubecæ, ex Episcopatu Lubecensi intelligi, de iis verò Clericis, qui agnoscunt Jurisdictionem urbanam, non sentire nec observari putat. Idem de notoria Consuetudine in Patria HAMBURGENSI obtinet; ibi enim, uti immobilia sibi acquirere Ecclesiastici utique possunt, vicissim tamen ad collectas solvendas obligantur. vid. Die Hamburgische Stadt-Recessen *art. 32.* ibi: van ehren weltlichen Güdern und wen se borgerliche Nahrung als Herbergierung und Krögereyen holden, accise bethalen. add. *art. 60.* ibi: he sy geestlich oder weltlich schal von dem Eigendohme und liggenden Güdern so he in düsser Stadt heft, jährlich twischen Luciæ und Weinachten von hundert Mergk veer Schilling Schodt geven. Quæ etiam verba distinctionem nullam facientia inter prædia Ecclesiastica & secularia ibi: so wohl von geistlichen als weltlichen Güthern, communiter inseruntur, quoties hæ collectæ publicè indici solent, quanquam cæterum, qua habitationes ab Ecclesiis ipsis concessas, & tributa quædam personam afficientia, meritò immunes sunt, uti etiam ab accisiis & similibus, certo scil. respectu, modo literas immunitatis debito prius loco petierint. vid. Mandatum, die Vermattung des Meehls betreffend, de ao. 1710. pr. ibi: oder da jemand eximirt, nach Inhalt nach beschriebener Art ein Frey-Zettul gehörigen Orths abzufordern, und an Thören und Bäumen abzugeben. Et quem latet singularis modus hodie in GALLIA HISPANIAQUE & alibi ad transferenda in ecclesiam bona immobilia necessarius; AMORTIZATIONEM puto sive *licentiam retinendi bona immobilia per manum mortuam à principe im-*

petratam, ſcil. cautum hodiè plurimis in locis eſt, ne immobilia in Eccleſiam transferre liceat ſine conſenſu ejus, qui clavum reipublicæ tenet, ſed ut hujus demum voluntate ac conſenſu licentia hæc Eccleſiæ fiat, quæ propterea manus habere mortuas, ſive immortalis poſſeſſor eſſe dicitur, quod bona non reddat, ſed perpetuo teneat, *1. F. 13.* Hinc Arumæus *Vol. 2. Diſc. Acad. 2. Eccleſiaſtici*, inquit, *recipiunt bona ut mare aquas, ſed non reddunt ut mare aquas reddit.* De hac amortizatione verò plura qui ſcire aveat, evolvat Dn. Böhmerum *c. l. usque ad fin. Cap.* & autores magno numero ab eo citatos, ubi & de pecunia certa Principi pro amortizatione debita §. *29.* agit, tandemque §. *31.* in noſtris Eccleſiis adhuc quodammodo incognitum eſſe hoc jus, ex eadem tamen utilitatis ratione introduci poſſe, dicit. Sunt quidem, inter Pontificios maximè Doctores, qui adeò pro Eccleſiis & Clericis certant, ut hæc & ſimilia ſtatuta irrita & nullius valoris pronuntient, uti Pariſius *V. 1. Conſ. 26. num. 6.* Schurff. *centur. 1. conſ. 69. n. 26.* & alii; imò eo audaciæ referente Chriſtinæo *Volum. 1. deciſ. 201. n. 1.* proceſſit *Petrus Jacobi*, ut Principes ejusmodi conſtitutiones edentes ipſo jure excommunicationi aliisque pœnis ſubjici ſtatuerit; Hiſce verò quod reſpondeam, operæ pretium non eſt, poſtquam larga manu illis ſatisfecere Muſculus *de ſucceſſ. convent. n. 19.* Arumæus *citato loco*, præcipuè verò Klock. *de contribution. d. l. c. 17. n. 89. ſeqq.* add. Bœhmer. *c. l.* §. *25.* imò hoc unicum ſufficeret, quod in PRIMITIVA ECCLESIA non poſſederint bona immobilia, ſed largitionibus demum CONSTANTINI M. qui primus Eccleſiis prædia à piis oblata retinendi licentiam conceſſit *l. 1. C. de SS. eccleſ.* vid Euſeb. *de vita Conſtantini l. 2.* & ſequentium Imperatorum (Quæ enim a JULIANO ipſis iterum ablata, reſtituit Succeſſor ejus JOVIANUS, & poſtea VALENTINIANUS ac GRATIANUS CONSTANTINI M. privilegia, Eccleſiæ indulta, confirmarunt largioribus adhuc reditibus & bonis Eccleſias ditantibus. Er. Mauritius *Diſ. de ſecularisatione bonorum Eccleſiaſt. §. 4. p. 499. opuſc.*) ad tantam opulentiam pervenerint, uti poſt multos præter allegatum modo Maurit. §. *5. ſeq.* latè oſtendit Dn. Böhmer. *d. l. p. 252.* ubi elegantem Pauli Sarpii locum exhibet ex ejus *tr. de beneficiis art. 6.* quem integrum repetit Thomaſius *ad Lancellot. L. 2. tit. 27. p. 1165. ſeqq.* & qui mihi etiam dignus videtur, ut ſequentia ex illo verba huc apponam. *Et voila comme les choſes vont tout à rebours, autrefois c'étoit une œuvre de la plus haute perfection chretienne que de vendre & de donner aux pauvres, aujourdhuj ce ſeroit encourir les cenſures, & la perfection conſiſte a retenir les fonds Eccleſiaſtiques & à ne pouvoir pas même permuter, ſans une neceſſité evidente, & les defenſes d' aliener, qui etoient faites en faveur des ſeculiers contre les Eccleſiaſtiques, ſe ſont changées en d'autres en faveur des eccleſiaſtiques contre les ſeculiers.* Et denique, quòd primo loco afferri debuiſſet,

ipſa

ipsa sacra Scriptura nullam planè immunitatem concedit Clericis, uti ex Textu *Matth. XVII. 26.* præcipuè extorquere vult Clerus Pontificius. Contrarium enim post interpretes multos abundè ostendit laudatus sæpè Klockius *de contribut. c. 12. n. 268.* usque ad fin. capitis. Hincque meri humani & Pontificii juris est hæc immunitas, eademque ratione, qua per sollicitationes extorta, tolli iterum ac revocari potest Ziegl. *de J. M. d. l.* §. *14.* Et hæc de Clericorum immunitate pro instituto nostro sufficiant, in quo licet argumento prolixior forsan, quam par est, fuerim, id tamen lubenter mihi objici patiar, modo id impetravero, ostendisse me luculenter, quam insigne Clericorum immunitas a Collectis, sive illa se quoad omnia eorum bona, sive saltem illa, quæ quà personæ Ecclesiasticæ possident, ex, tendere debeat, neglectorum fisci comodorum testimonium præbeat, meritoque in illis locis, ubi nondum Statutis huic ærariorum imminutioni prospectum est, de mediis opulentias Clericorum restringentibus cogitandum sit, quam in rem elegantia sunt verba Klockii *l. 2. de ærario c. 47. n. 4.* quæ coronidis circa hanc materiam loco adjungam. *Immane quantum nocumenti ejusmodi privilegia reipublicæ afferant, vimque & nervos Principatus incidant. Quid! quod occasionem & materiam seditionibus haud raro præbeant, & subditos contra justitiam & Rempublicam armen? Volupe est privilegiariis super cæteros eminere: sed ubique datur progenies vitiosior. Isti de iniqua sua sorte queruntur, illi de sua retinenda plus æquo sunt solliciti. Illi cæteros ut Clientes habere volunt, hi illos ut fratres cupiunt. Tanta affectuum disparitas & pugnantium animorum concursitatio, quid in repub. aliud quam indigesta maleque cocta in stomacho colluvies. Vomitum videbis, ni opportuna manu occurreris.*

§. X.

A Jure Collectarum ob affinitatem argumenti ad Jus Vectigalium nunc progredior, neque attendendum puto, quod Sixtin. de *regalib. l. 1. c. 2. num. 52. & l. 2. c. 6. num. 42.* Idem regale non nunquam & majus & minus diverso respectu dici posse asserat, sicque jus Vectigalium, quà instituendorum & augendorum, ad majora, quà percipiendorum vero ad minora regalia referat. Potius cum Ziegl. *de J. Maj. l. 1. c. 3.* §. *30.* ubi hanc Sixtini sententiam adducit, jus vectigalium nullo facto discrimine inter minora hic refero. Jus enim IPSUM, quæ verba laudati Ziegleri mea faciam *instituendi vectigalia in eum finem competit, ut consulatur fisco. Totum Ergo id non ad Majestatem s. ejus* eminentiam, *principaliter spectat* (ut regalium majorum indoles præ se fert) *quanquam Majestati competat, sed ad emolumentum aliquod subsidiarium fisco applicandum &c.* Vectigalia itaque tam quà constituenda quam quà constituta huc spectant, in quantum regalia minora tantum pro objecto habemus.

Vocabu-

Vocabulum autem vectigalis, quod diverso alias significatu gaudet, de quo conf. quæ Illust. Dom. a Gœlniz, *de regal. vectigal. jure c. 2. num. 19.* Hahn. ad Wesemb. *tit. de publican. vectigal. & commun. n. 2. verb. vectigal.* Klock. de *vectigal. conclus. 6. & de ærario l. 2. c. 146.* Ziegl. *de J. M. l. 2. c. 5. § 5. seqq.* aliique annotarunt, in propriissimo sensu hic sumitur *pro eo quod in itinere præstari solet. l. 21. pr. ff. de donat. inter V. & U.* & sic vectigal definio, *quod sit munus reale pro mercium vectura aut transitu Principi in auctoramentum præstitæ securitatis & refectionis viarum publicarum debitum* Ziegl. *d. l.* §. *5. s.* brevius, quod sit *onus reale* (*p. l. 18. & l. 214. ff. de V. S.*) *quod negotiationis causa fisco penditur. l. 5. l. 6. l. 8. l. 9. C. de vectigal.* Lauterb. *eod.* §. *12.* & sic quodcunque genus vectigalium sive portorium sit, idque tam navale quam terrestre sive pedagium &, quæ demum præter hæc, subintelligo.

§. XI.

IMMUNITATEM quidem, qua nonnullæ personæ a Vectigalibus gaudent hic etiam recensere possem, sed præoccupavi hæc, ubi de collectis disserui, hinc ad alia statim transitum facio, & quidem inter neglecta quoad vectigalia Principum & Rerum publicarum emolumenta refero, quod *defraudatio vectigalium non satis rigorosè puniri soleat, sed ab iis, quibus hæc cura est commissa, negligatur.*

§. XII.

Hanc rem ut eo penitius introspicere liceat, ante omnia quænam res de Jure Civili COMMISSÆ sive in commissum cadentes dicantur, & quænam requisita necessaria hic sint, præmitto. Quoad *prius*, *res* hoc loco dicuntur *tales, quæ ob vectigalium defraudationem prioris Domini esse desierunt, & fisco jure dominii acquisitæ sunt*, ipso jure, ac per transitum Dominii legalem, etiam sine sententia condemnatoria. *l. 14. ff. de public. & vect.* quamvis ad possessionem priori Domino auferendam de Jure nostro Civili opus sit *sententiâ declaratoriâ*, delictum illud esse commissum, aut res illas ob id cecidisse in commissum, declarante. Gail. *2. O. 51. n. 5. sqq.* & generalius id. in *lib. 2. O. 152. n. 9. junct. præcedd. & seqq.* Mynsing. *5. O. 29. n. 7.* Besold. *P. 5. Cons. 234. n. 36.* Struv. *in S. J. C. Ex. 39.* §. *41.* Dn. de Gœlniz, *in tr. de jur. vectig. c. ult. n. 2.* B. Dn. Frommann. *de transitu domin. legali t. 64. in fin.* Hodie tamen id non obtinere, & generali fere consuetudine, etiam in Germania nostra, jam invaluisse, ut fiscus propriâ auctoritate res commissas apprehendat, testantur. Hartm. Pistor. *l. 48. O. 1. n. 14.* Joh. Köppen. *decis. qu. 50. n. 11.* von Gülich. *in Obs. ad Mynf. 5. O. 29.* Hahn. ad Wesemb. *h. t. n. 4. in f.* Mev. *ad Jus. Lubec. P. 2. t. 3. a. 6. n. 4.* Müller *in addit. ad Struv. d. l. lit. a.* B. Dn. Lauterb. *ad tit. de publ.* §. *25.* Excell. Dn. D. Schweder. *in Jure publ. P. Spec. sect. 1. c. 20. n. 7.* quam consue-

consuetudinem quidem inter mores reprobatos refert, eamque emendatione egere dicit B. Dn. Stryk. *in Usu Mod. h. t. §. 14. in fin.* eam vero optimo maximo jure inniti statuit Klock. *de jure vectig. concl. 86. lit. c.* & ab objectionibus vindicare allaborat Schilter in *Ex. 42. §. 56.* ac rationibus juris suffulcire satagit Mod. Pistor. *Vol. 2. Cons. 48. n. 17. seqq.* Ne vero res in summam abeat iniquitatem, providendum hic est quam maximè, ne publicani nimiâ lucri aviditate juxta & jurium ignorantiâ ducti, uti insolens & insipidum sæpius id genus hominum esse solet, non probè ponderatis circumstantiis, inique & impotenter nimis, ubi dubium adhuc, an in commissum res ceciderint nec ne, in eas de facto involent, & ad se promiscue rapiendo possessores etiam innocentissimos injuste premant aut opprimant, quam sollicitudinem commendat rectissimè Dn. de Gölniz, *d. c. ult. n. 3.* exemplis quoque rem illustrans. Ex his vero patet præterea, quod, si res commissa in loco forsan tertio deprehendatur, *Rei Vindicatio ad commissum*, vel *actio commissi* fisco competat, ad avocandam sc. a priore Domino rei possessionem; nam plus facti quam juris habet *l. 19. in f. Ex quibus caus. maj.* adversus defraudatorem ejusque hæredes, non quidem quà tales sed quatenus merces illæ ad eos pervenerunt. *l. 8. pr. l. 11. §. 3.* & *l. 14. ff. de publican.* hinc non requiritur antecedanea a defuncto facta litis contestatio *d. l.* modo hæres rem possideat. Illustr. Dn. a Gölniz, *d. D. c. 5. §. 2.* imò contra quoscunque alios possessores *d. l. 14.* Unde respond. *ad l. f. §. 13. ff. eodem*, ubi pœnæ ab hæredibus exigi non posse dicuntur illæ, quæ personali actione exiguntur; dupli scil. si quis ex ignorantia vel errore vectigal non solverit *d. l. f. §. 10.* Et hoc demum procedit, si lis cum defuncto fuerit contestata *d. l. f. §. 13.* Lauterb. *ad tit. de public. §. 25. & 33.*

§. XIII.

Quoad *posterius*, REQUISITA sc. ad rem pro commissa judicandam sunt illa. 1) *dolus malus*, sine quo delictum regulariter non committitur, *l. 8. l. 11. §. 2. l. 16. §. 11. h. t.* Hinc *ignorantes* & *errantes* excusantur, quibus scil. duplo soluto vectigalii res restitui debent. *d. l. 16. §. 10. & 11.* Præter hoc duplum verò DD. nonnulli hic adhuc *juramentum purgatorium* requirunt a reo, sc. se ignorasse, ibi loci Vectigal fuisse constitutum. Gail. *l. 2. obs. 48. n. 26.* aut alias dolosè non fecisse. Jure LUBECENSI solo juramento præstito reus absolvitur, *P. 2. t. 3. a. 5.* ibi: Wird einer von den Zöllnern angegeben, daß er nicht recht verzollt habe, ist er sonst ein unberichtiger Mann, so mag er sich dessen entledigen mit seinem Eyd. conf. *ibid.* Mevius; nec obstat *d. l. 16. §. 5.* quam de ignorantia affectata interpretatur Lauterb. *d. l. §. 26.* conf. omnino hic Ziegl. *de Jur. maj. l. 2. c. 12. §. 8. seq.* alias personas inde exceptas vid. ap. Lauterb. *d. l. 2.*) ut *res*, quæ invehuntur, apud Publicanos *non indicata* fuerint,

l. fin. §. 1. & 3. ff. h. t. Professio enim ex parte vectorum adeo necessaria, ut ne quidem personæ a vectigalium solutione immunes & exemtæ ab illa liberentur, sed ea omissa in pœnam commissi pariter incidant. *l. 4. §. 1. l. f. §. 3. & 12. ff. eod.* per quos Textus ipsis injungi videtur, ut schedulam immunitatis einen Paß-Brieff, oder Frey-Zettel, vel literas commeatus secum habere debeant. v. Sixtinus *de regal. l. 2. c. 6. n. 196. p. 83.* Lauterb. *d. t. §. 19 ibiq. cit.* quanquam Mevius *ad Jus. Lubec. P. 2. t. 3. a. 6.* eidem allegatus dissentire hic videatur, ex ea quidem ratione, quod non solam professionis omissionem, sed dolosam tantum & fraudulentam, uti id *n. 9.* innuit, pœnam operari putet. Hinc etiam de praxi inter res notoriè immunes, & de quarum libertate ambigitur, distingui solet, docente eodem Mevio *n. 10.* & Klock. *conclus. 88. lit. 6.* add. Ziegl. *d. l. §. 4. p. 1025.* In patria HAMBURGENSI tamen secus esse videtur, præcipuè quoad *frumentum*, de quo sequentem in modum sese habet art. 6. des Mandats die Vermattung des Mehls betreffend. d. 27. Febr. 1710. Sollen zu Verhütung aller defraudationen von denen Vorstehern und Provisoren der eximirten armen Häusern und Klöstern über das zu benöthigter Consumtion auf die Mühl abschickende Korn, unter ihrer Hand eine getreue ohnverfälschte designation überreichet, und ein Frey-Zettel darauf, bey der Matten begehrt, und von selben denen Abholern ausgehändiget, widrigens aber dessen Unterlassung wie auch alle befindl. malversationen, Betrug und Unterschleiff ihnen Vorstehern und Provisoren ledigl. imputirt, und nebst der daraus resultirenden Confiscation wie in diesem Mandato enthalten ist, ohne Ansehen gestrafft werden. Neque quoad professionem mercium opus est *prævia admonitione portitoris. Neque enim imputatur, publicano, quod non instruxerit transgredientem, sed illud saltim custodiendum, ne decipiat profiteri volentes.* per textum expressum in *l. 16. §. 6. h. t.* ex quo colligitur, æque necessarium non esse, ut præter professionem *solutionem quoque offerant* transgredientes, sed modo professi fuerint, tuti fiunt, licet vectigal non solverint, etiamsi conspiratio & collusio publicani accesserit, per verba diserta *d. l. 16. §. 12. eod.* ibi: *si quis professus apud publicanum fuerit, non tamen vectigal solverit, hoc concedente publicano (ut solent facere) Divi Severus & Antoninus rescripserunt, res in commissum non cadere. Cum enim, inquiunt, professiones recitantur, commissum cessat, cum poterit satisfieri fisco ex bonis publicanorum vel fidejussorum.* Quod tamen cum Ant. Matthæo *de auctionibus l. 2. c. 7. n. 5.* & Ziegl. *d. l. §. 2. p. 1024.* limitandum putaverim eo casu, ubi quis post factam professionem, illico se subduxerit, animo non solvendi. Tum enim paratus ille ad solutionem dici nequit, & professio fine suo per culpam profitentis destituitur, nisi forsan tales coincidant circumstantiæ, quæ

prope-

properantem factâ professione viatorem excusent, de quo præjudicium pro *Viatoribus* contra SENATUM HAMBURGENSEM adducit idem Ziegl. §. 3. p. 1024. Contra verò, quæ de necessitate professionis dixi, amplianda etiam sunt ad illum casum, ubi vectores per aliam viam iverint, sicque professioni & vectigalis solutioni se subtraxerint, *l. 2. C. de cursu publ.* Carpz. *in Jurispr. for. P. 2. c. 27. def. 3. n. 7.* & neque tunc mercium adjudicatio, fisco facienda, differenda est usque dùm iter faciens locum territorii exeat, quæ sententia est Baldi *in leg. cum proponas 3. C. de naut. fœn.* ea quidem ratione adducti, quod alias semper spes sit, redire viatorem in viam rectam & pœnitere. Potius contrarium rectius affirmavit, Bartolus *in l. Præsidib. 2. C. de cursu publ.* & *in l. qui fiscales 7. c. de navic. lib. 11.* inde, quod contra eum, qui extra viam publicam reperitur, mala suspicio generetur, quod videlicet vectigal fraudare voluerit, cui proinde merito adstipulor cum B. Strykio *U. M. ad tit. de publican. §. 16.* qui in hanc rem plura cogniturum ablegat ad Colerum *de processu executivo, P. 1. c. 3. n. 79. seq.* Limitationes verò & causas, ex quibus pœna commissi interdum cessat, vid. ap. Stryk. *d. l. §. 18.* & Ziegl. *d. l.* add. Hahn ad Wesenbec. *tit. de publican. & vectig. n. 4.* Sixtin. *de regalib. l. 2. c. 6. §. 174. seqq. p. m. 80.*

§. XIV.

Ita DE JURE CIVILI res sese habet. Videamus nunc primum, quid MORIBUS NOSTRIS obtineat, ubi merito duas quæstiones ab invicem secerno, unam scil. generalem & magis theoreticam, *an Germani pœnam commissi apud se juxta tenorem Romani juris stabiliverint, & an generalis ejus extet observantia;* Specialem alteram & Practicam magis *num rigorosi sint in confiscandis eorum bonis, qui ob defraudationem vectigalium huic pœnæ obnoxios se reddiderunt.* Primam quod attinet, non dubito cum Schiltero *Ex. 42. §. 63.* asserere, cum receptione Juris Romani in Rempublicam Germanicam universali jus etiam commissi specialiter invaluisse, quam in rem allegatur eidem *Reinhardus* JCtus Saxonicus, quem tamen magis, de sequestratione & detentione, donec scil. solvatur pœna pecuniaria, in Saxonia recepta, quam de commisso id asserere significat. Neque tamen aliter hanc pœnam commissi & confiscationes apud nos receptam esse statuo, quam quatenus contrariis statutis hæc juris Civilis dispositio immutata non fuit. Hinc de jure SAXONICO *provinciali lib. 2. art. 27.* qui pontium seu aquarum telonium, Brücken oder Wasser Zoll, non persolverit, quadrupliciter illud refundere tenetur, qui forense Marck Zoll non dederit, triginta solidos pœnæ loco dreyßig Schilling solvere debet, quanquam ex Carpzov. *Jurispr. for. P. 4. const. 41. def. 15. n. 5.* hanc dispositionem ad eos, qui ex negligentia vel ignorantia vectigal haud solvunt, restringendam esse, qui dolose egerint, pœna arbitraria, carcere puta vel alia pecuniaria mulcta, puniri mo-

neat Stryk. *U. M. h. t.* §. *15.* confiscationis verò apud Saxones usitatæ mentionem nullam injiciat. Confer. Schilter. *d. l.* §. *61.* & Colerus *decis. 190.* Et retinuere forsan illi quoad hoc avitos mores, siquidem JURE TEUTONICO VETERI actionem & pœnam commissi ignoratam fuisse testatur *Jus Alemannicum c. 100.* cujus tenorem repetit Schilterus, *laud loco* §. *62.* Hinc quomodo Modest. Pistor. *Cons. 48. n. 16.* in Saxonia jus commune obtinere asserat, nondum satis assequor. Cum jure Saxonico & Alemannico conspirat jus HISPANICUM, vigore cujus pariter quadruplicatum Vectigal solvit, qui ad. vectarum mercium professionem neglexit, uti ex Azevedo *ad Constitut. reg. l. 6. tit. 11. l. 6. n. 9.* referunt, Schilter. *d. l.* & Mevius *ad Jus Lubecense P. 2. t. 3. a. 6.* Acerbius paulo in eandem omissionem animadvertunt PATRES LUBECENSES *d. t. 3. a. 6.* nonuplum enim Vectigal imponunt ei, qui de non facta mercium professione sive defraudato vectigali convictus fuerit: Verführt einer den Zoll und wird des mit Recht überwunden, er soll neunfältig bezahlen und darzu wetten (quod idem est ac solvere) vier Marck. Imò eandem pœnam dictitat publicano, qui bis vectigal petit, per verba sequentia: gleiche Straffe soll der Zöllner geben, wann er den Zoll empfangen hätte, und wolte denselben noch einmahl haben. Quòd tamen Statutum non ita crudè accipiendum, sed cum Mevio ita interpretandum putaverim, ut saltim pœna hæc nonupli & quatuor marcarum tunc locum habeat, ubi ea pœna mercium, quæ alias in commissum caderent, non transcendit pretium, sicque etiam iniqua non est pœna; ubi verò Vectigal tam magnum exigitur, ut nonies auctum superet commissi pœnam, de ejus jure & observantia merito dubitari. *Nec enim*, inquit, *si præteritorum temporum vectigalia attendimus, ea mens Legislatorum fuit, hac pœna durius quam jure communi receptum, invehere, sed hujus duritatem mitigare, idcirco contra statuentium intentionem auctis Vectigalibus non facile oportet exasperare statuta. Succedit autem in locum illius hæc pœna statutaria, ideoque ejusdem regulis omnino censeri debet, non secus atque vulgò dicitur, surrogatum sapere naturam ejus in cujus locum succedit.* Conf. idem *in quæstione prælim. ad Comment. Jur. Lub. 9.* cui sententiæ eo lubentius adstipulor, quo circa statutorum singularium interpretationem eam semper præsumtionem militare dicant DD. quà statuentes non possunt aut debent, dici hoc agere voluisse, ut nimium a Jure communi recedant, cum potius interpretatio ita facienda sit, ut facilius ad jus commune redeatur, vid. Alderanus Mascard. *de statut. Interpret. concl. 2. n. 62. seqq.* & Magnific. Dn. Præses *in Collat. Jur. Civilis cum recess. Imperii Sect. XV. p. 11.* ubi Statutum Hamburgense *P. 4. a. 1.* quoad pœnam blasphemis am Leibe dictatam ad ultimum supplicium etiam extendi posse ex eadem ratione statuit. In PATRIA verò HAMBURGENSI pœna com-

commissi expresse approbatur in den Hamburgischen Staat-Recessen *art. 59.* ibi: welchen man sinen tollen nicht bethalet, dessen Güdere, de nicht vertollet sin, schöllen an dat gemeine Gut verfallen sin, id est, si quis vectigal non solverit, ejus bona, pro quibus Vectigal solutum non fuit, fisco adjudicantur. Idem confirmatur in der revidirten Hamburgischen Zoll-Ordn. de an. 1636. ubi per omnes articulos pœna commissi expressè imponitur iis, qui vel planè merces non professi vel non omnes, aut non secundum veram earum æstimationem, quod innuit præcipuè *art. 2.* ibi: Handelt jemand dagegen, und die Güter geringer als nach banco valor taxiren und angeben, oder auch dieselben gar verschweigen würden, solche Güter sollen gäntzlich oder so viel sie geringer angeben, confiscirt, und an das gemeine Gut verfallen seyn. Imò, ut plane nihil in fraudem hujus legis fieri possit *seq. art. 3.* hoc adjectum est: auch da man will, die Güter vor solchen Preiß, als sie auf den Zöllen angegeben, für baare Bezahlung zu behalten und anzunehmen frey seyn; quoad *frumenti* verò importationem adhuc rigorosior articulus legitur, in dem Mandat die Vermattung des Mehls betreffend, d. 22. Febr. 1710. *art. 2.* ibi: soll beydes was angeben und verhehlet, und also das gantze quantum confiscirt, und noch über diß der Verbrecher wegen des Vertuschten, als in folgenden Articulis geordnet, mit Geld-Busse bestraffet werden.

§. XV.

Specialem alteram & practicam magis quæstionem ita formo: *an mores nostri in confiscandis eorum bonis, qui ob defraudationem vectigalis huic pœnæ obnoxii fiunt, rigorosi satis, an verò in detrimentum fisci licito æquiores & clementiores sint?* Videtur posterius non una de causa asserendum & quidem primo inde, quod in casu, ubi *nauta, auriga, mulio, vel famulus res celavit & vectigal solvere dolosè intermisit*, contentus hodiè fiscus esse soleat, modo navem, equos & cæteras res aurigæ vel nautæ proprias sibi addicat, ipsorum verò Dominorum merces, licet neglecta earundem professio pœnam commissi operetur, illis relinquat. Quoniam autem hæc ipsa, quam proposui, quæstio per se, & seposito omni ad praxin & mores nostros respectu, controversa admodum est, & quomodo vel ex æquitate, vel Juris Romani dispositione dijudicanda sit, valdè inter se dissentiant DD. juvabit prius horum utrorumque momenta & rationes summatim recensere, ut eo melius postea examinare possimus, num mores nostri a juribus antiquis discessionem fecerint, an illa sequendo ac imitando fisci causam injustè neglexerint.

§. XVI.

Hic verò ante omnia supponendum est, non institui quæstionem de casu, *quando Domini fraus concurrit*, v. gr. quando professionem mercium vel solu-

tionem Vectigalium prohibuit. Tunc enim utrumque Dominum & aurigam ex proprio dolo teneri, pœnamque confiscationis tam quoad res domini quam aurigæ fundatam esse certissimum est; sed de eo saltim controversia & dubitatio superest, *an auferri domino merces possint, quando neque prohibitionem ejusmodi fecerit, neque alio modo de intentione Vectigal defraudandi cogitaverit*. Diversimodè ad hanc quæstionem responderi jam dixi. Affirmativam, quod sc. & Domini merces in commissum cadant, stabiliunt Klock. *de jure Vectigal. concl. 89. lit. b.* Frider, *de mandat. l. 2. c. 43. n. 17.* Köppen. *decis. 50. n. 23.* Rosenthal, *de feudis c. 5. concl. 39.* Sixtin. *de regal. l. 2. c. 6. n. 165.* Mevius, *ad Jus Lubec. p. 2. t. 3. a. 6.* Schilterus *Ex. 42. §. 60.* Negativam contrà tuentur Mylerus ab Ehrenbach *de Principibus & Statibus Imperii P. 2. c. 64. §. 10.* Bocerus *de Regalib. c. 2. n. 11.* Lauterbach, *in Collegio ad h. t. §. 30.* & *in compendio h. l.* aliique, quibus in puncto juris accedit etiam Stryk. *V. M. h. t. §. 17.* Et quidem, quod ad eorum argumenta attinet, qui de Jure Civili etiam Domini, licet innocentis, merces fisco addicunt, nituntur illi. 1.) *l. 7. ff. de publicanis*, ubi expresse dicitur, in vectigalibus ipsa prædia, non personas conveniri, vel quod eodem recidit, vectigal non personam, sed rem, afficere. Sixtin. *de regal. c. l.* eamque in commissum cadere & perire suo Domino, cui & hoc addunt, Dominium rerum ob non factam professionem commissarum statim ipso jure ad fiscum transferri. vid. §. præced, 13. 2.) *l. 16. §. 5. eod.* ibi: *licet quis se ignorasse dicat, nihilominus eum in pœnam vectigalis incidere.* 3.) *l. 3. C. de naut. fœn.* ubi nautica pecunia, quæ alias periculo creditoris est. *l. 2. l. 3. de naut. fœn.* per culpam debitoris, eam trans mare vehentis, fisco addicta est, ob receptas sc. in navi merces illicitas, & fiscus, non obstante, quod nulla creditoris culpa accessit, ejus tamen pecuniam, illicitis mercibus mixtam, retinuit, salvo ipsi contra debitorem regressu 4.) *l. 23. C. de admin. Tut.* ubi minoris prædium, ob non solutum Tutoris vel Curatoris culpâ vectigal, amissum fuisse dicitur, sicque fisco addictum, non denegato iterum minori contra Tutorem ad resarciendum damnum regressu. His quidem objici solet, 1.) quod hæ & similes LL. restringendæ sint ad eum casum, si vel ipsi mercatores merces transvexerint, vel dum vectigal defraudaretur, præsentes, vel saltim ejus criminis conscii fuerint, cum scilicet alteri per alterius fraudem iniqua conditio inferri non debeat, quod in ipsa vectigalium materia corroborari videtur, per *l. 8. §. 1. l. 11. §. de publican.* addunt 2.) textum in *l. fin. §. 11. ff. h. t.* cujus verba ita se habent. *Magnus Antoninus rescripsit, si Colonus, vel servi Domini prædii ferrum illicitè in prædio fecerint, ignorante Domino, nulla pœna Dominum teneri;* sed, quod ad priorem objectionem attinet, illam restrictionem propterea

pterea agnoscere non volunt, qui sententiæ prioris Patroni sunt, quod illius vel vestigium vel indicium in legibus nullum appareat, nec ulla præsumtio militare possit, tam notabilem distinctionem, si antiquis fuisset recepta, nulla lege proditam fuisse, cum, si adesset, plus quam dimidium commissorum à pœna hac liberare fiscoque auferre posset. vid. omnino Jo. Nicol. Liepold. in *D. de mercibus illicitis p. 44. sq.* ad posteriorem vero rationem generaliter primo id respondent, limitandum sc. illud axioma, quòd alteri per alterius factum iniqua conditio inferri non debeat, ita, modo non fidem ejus elegerit, cujus verò quis fidem elegit, illius etiam facto teneri; imputare ergo sibi mercatorem debere, quod vel non iterum iterumque aurigæ suo injunxerit solutionem vectigalis, vel in eligendo eo majorem non adhibuerit diligentiam. *arg. l. fin. §. 4. naut. caup. stab. l. 7. §. f. de Instit. act.* cum pari ratione dolus & negligentia Procuratoris Domino nocere dicatur, in *l. 23. in fin. de minor. l. 10. C. de Procur.* Gail. *l. 1. obs. 45. n. 1.* Carpz. *P. 1. Constit. 1. def. 22.* allegatam verò *l. fin. §. 11. ff. de publicanis*, huc plane non quadrare; Ibi enim neutiquam quæri de pœnâ commissi, sed pœna extraordinaria, quà plectebantur arma extra publicas fabricas facientes; sicut & illi, qui merces prohibitas exportabant. Schilter. *allegat. loco.* Verum quamquam in ista Doctorum discordia, argumentorumque etiam, ab utraque parte prolatorum, haud levi pondere, quænam sententia de juris veritate fundatior sit asserere non adeo pronum sit, crediderim tamen textibus rectè inspectis illam præponderare sententiam, quâ etiam Jus Civile cum mercium istarum Domino mitius procedere statuitur. Nam quod ad objectiones spectat, quæ ex *l. 7. ff. de publican. l. 16. §. 5. eod. l. 2. l. 3. de naut. fœn. & l. 23. C. de admin. tut.* desumuntur, illæ tamen infringi satis videntur restrictione illa jam allata, quod sc. tantum allegari possint, ubi aliqua Domini fraus concurrit. Quamquam enim hæc distinctio in Legibus expresse nullibi appareat, tacite tamen illis inesse videtur, cum ad pœnam commissi quoad merces fundandam semper dolus formalis requiratur, quod supra jam innui, propterea que etiam, si unus ex pluribus rem causa vectigalis surripiat, portiones cæteris non auferuntur. *l. 8. §. 1. de publican.* & navis Domino ignoranti restitui jubetur in *l. 11. §. 2. eod.* Et quamquam *l. fin. §. 11. ff. de publican.* non de pœna commissi expressè agat, exempli tamen loco non incongruè hic allegatur. Æquiorem præterea putant hanc sententiam, cum innocentem Dominum ob solum aurigæ dolum vel culpam punire, iniquum & durum videatur. Cui præsupposito licet id opponere soleant, difficile planè esse probare hanc innocentiam Domini, vid. Thomas *d. D. p. 66. not. K. K.* neque adeo planè innocentem videri Dominum, qui in eligenda alterius fide commodis suis non satis cautè prospexit: habere insuper

regressum

regressum suum salvum, & aurigam locati conducti convenire posse, ad damnum ob amissas & fisco addictas merces, quarum professionem neglexerat, resarciendum. *arg. l. 2. pr. ad L. Rhod. de jactu l. 13. l. 21. C. mandati.* cum tamen nec casus supponatur, nisi terminis habilibus, & quando de innocentia ista Domini satis constiterit, nec delictum Procuratoris Domino in aliis negotiis noceat, quam in quibus culpa ad pœnam sufficit, in vectigalibus autem ipsius, ut dixi, Domini dolus formalis requiratur. B. Lauterb. *ad tit. de publican. §. 31.* id insuper hic addi solet responsionis loco, regressum illum contra aurigam effectu utplurimum destitui, cum sæpe non sint solvendo, indeque triste hoc solatium pronuntiet post alios Scharff. *d. D. p. 59. §. 2.* quæ ratio nonnullos eò compulit, ut si vel statuto vel consuetudine a Jure Civili hac in parte divortium factum fuerit, *restitutionem* tamen *in integrum* concedant Domino, si regressus ille inanis fuerit vid. Brunnem. *ad l. fin. n. 10. de publican.* Maulius *de homagio tit. de vectig. 10. n. 53.* qui statutis hanc clausulam generalem: *quoties justa causa esse videtur*, inesse credat, eamque hinc applicet, quotiescunque nauclerus solvendo non fuerit; Attamen hocce casu Publicanos vel Magnates istam rationem vix admissuros judicat Mevius ad *Jus Lub. P. 2. t. 3. a. 6. n. 20.* de quo conqueritur Marquardus *de Jure mercator. l. 2. c. 4. n. 28.* Et hæc quoque causa fuisse videtur, ob quam PATRES HAMBURGENSES *allegat. art. 59.* Dominis quibuscunque injungunt, ut, nisi mercium jacturam facere cupiant, ubi per alios vectigal solvunt, schedulam suâ manu exaratam mittant, eaque mercium pretia significent, absentes verò ubi fuerint, statim post reditum, quid interea loco vectigalis solvere debuerint, ore vel scripto confirment, *add. revidirte* Zoll-Ordn. *art. 6.* neque id prætermittendum, quòd in *artic. 23. ibid.* expresse hæc verba legantur: mit dieser Verwarnung, daß alle solche Güter so ohne Zoll-Zettel gelöset und eingenommen worden, ohne Mittel an das gemeine Gut, und derjenige, so dieselbigen ohne Zoll- und Frey-Zettel löset, und zu Hause bringet oder einladet, auch die Schiffere, so gegen diese Ordnung handeln, jedesmahls in Zehen Reichsthlr. Straffe vor jedes Stück zu bezahlen ohne Gnade sollen verfallen seyn. eodemque collimant verba sequentia, quæ in mandato die Vermattung des Mehls betreffend, *art. 3.* leguntur. und sollen die Wirthe oder Eigenthümere der Wagen oder Fahrzeuges sich mit der Einwendung, daß etwa ihre Knechte ohne ihr Wissen diesem Mandato zuwider gehandelt, sich nicht schützen können, sondern auf ihre Knechte acht zu haben gehalten, oder ihr Verbrechen zu büssen schuldig seyn. Sicuti enim hic auriga culpam transgressionis in servum suum devolvendo se excusaturus non audiendus est, per conse-

quen-

quentiam non audiri debere Dominum omnem, talia objicientem inde colligi posse videtur, præcipuè ubi idem de hospitibus expressè dicitur.

§. XVII.

Hæc verò, cùm ita sint, ad praxin & mores hodiernos denique me converto, ut, quomodo hi pariter insigne neglectorum fisci commodorum quoad Vectigalia specimen præbeant, tandem ostendatur. Hos quidem merces domini fisco tanquam res commissas adjudicare adstruit Stryk. *in U. M. tit. de publican.* §. 17. nisi quod eo casu limitet, ubi tales personæ ad transportandas merces publicè constitutæ sunt; wann es ordentliche Land-Gutscher seyn, quibus sc. quisque fidem habere solet. Verum contrariam sententiam, quod scilicet culpa naucleri vel aurigæ locum commisso non faciat, tanquam mitiorem & æquiorem, communiter hodie observari majori fide testantur Mylerus ab Ehrenbach *de Princip. & Statib. Imperii c. 64.* Guido Papa *decis. 572.* Christinæus *V. 1. decis. 114. n. 9.* ubi præjudicium, & post alios Lauterb. *in Coll. ad tit. de publican.* § *31.* Magnif. Dn. Schwederus *J. P. P. special. Sect. 1. cap. 20. §. 7.* B. Harppr. *Vol. 3. Cons. Tubing. 47. n. 52.* & *in Diss. de jure aurig. circa delicta.* §. 22. *p. 15. 16.* (quamquam ibidem Oldenburgeri *itin. jur. p. 137.* contrarium præjudicium ex Palatinatu afferat) & ita in Camera quoque Imperiali judicatum refert Klockius, affirmativæ licet sententiæ ipse Patronus, *d. conclus. 89.* his verbis: daß A. S. Kinder Vormünder die von Beklagten übergebene Caution des umgefahrnen Zolls würcklich zu vollenziehen schuldig seyn sollen, doch daß dieselbe auf den Fuhrmann allein und nicht der Kauffleuten Güter zu ziehen seyn. Et quamquam de moribus patriis rigorose in defraudationem vectigalium animadverti deberet, si ex adductis *præced.* §. sanctionibus semper res decideretur, quin tamen non modo circumstantiæ hic omnes diligenter ponderari soleant, sed utplurimum etiam loco confiscationis arbitraria pœna infligatur, etiamsi de proæresi vel nautæ vel Domini constet, dubitare mihi non licet, cum de rerum praxi id mihi retulerit Vir harum rerum peritus, qui hujus indulgentiæ causam in Vicinorum etiam potentia collocat. Et sic videmus tandem illustre exemplum, quomodo circa defraudationem vectigalium procedatur moribus nostris, & quam insigne commodum inde decedat fisco, quod regulariter in hac quæstione contra fiscum pronunciari velint Doctores ferè omnes, quos propterea sequi detrectat Illustr. Thomasius *d. D. p. 68.* & responsum Facultatis Juridicæ Wittenbergensis contra Senatum Hamburgensem aliquando latum, cujus jam §. *13.* mentionem injeci, malè hic adduci notat. Vid. tamen quæ latè pro defendenda hac sententia novissimè adduxit Scharff. *d. l. §. 2. p. 60. 61.*

§. XVIII.

Primus hic erat casus quoad vectigalia, addam huic paucis duos alios, quibus in detrimentum fisci mitius pariter procedere solent mores nostri. Illam duplicem, unius tamen generis, controversiam innuo, *an merces* LICITÆ *cum* ILLICITIS *in una nave commixtæ in commissum cadant*, itemque *an merces* MUNES *cum* IMMUNIBUS *pariter una nave vectæ*, ubi professio earundem neglecta fuit, simul fisco adjudicandæ sint. Jus Civile si respiciamus, quod ad priorem attinet quæstionem, si merces licitæ ac illicitæ ad eundem Dominum pertineant, in commissum cadere utrasque, ex *l. 11. §. 2. de publican.* colligit Sixtin. *de regal. cap. 6. n.* 122. qui plerosque Interpretes ita statuere, sicque usu etiam propter consuetudines & statuta ubique vigentia olim servatum demonstrat, si verò diversorum Dominorum sint, nihilominus, sive sciverit Dominus, sive ignoraverit, utriusque generis merces de juris civilis veritate commisso vindicari, salvo Domino licitarum mercium contra nautam regressu, ostendere nititur, Liepold *in D. de mercib. illicitis p. 43.* Jungatur Struv. *S. J. C. Ex. 39. §. 50.* ibique Müllerus. Alterius verò quæstionis cum par ratio esse videatur, sub eadem illa etiam distinctione decidenda esset.

§. XIX.

Ast, quod gratia & clementia Principum hac in parte indulgere utplurimum soleat, non dubito, cum ipsi hoc non negent, qui de Jure Civili contrarium obtinere volunt, vid. Liepold. *d. l.* Quod verò de regula hodie ita interesse fisci negligendum sit, uti plurimorum locorum statutis negligitur, quemadmodum *de mercibus immunibus* non confiscandis ex Wissenbachio *Disp. ad Pand. P. 2. disp. 15. & 25.* refert Liepold. *p. 51.* qui etiam *edicta Gallica* FRANCISCI I. CAROLI IX. & HENRICI VI. quæ juxta tritum illud juris Admiralici: *La robe de l'ennémi confisque la robe de l'ami.* i. e. res hostis confiscat etiam rem amici, licitas merces cum illicitis in una nave mixtas indistinctè fisco suo asseruerant, multis in locis penitus esse abolita tradit p. 48. id cum suorum ærariorum detrimento conjunctum, quin immutare & revocare possint, Principes, optime satis constare arbitror.

§. XX.

Nunc ad JUS CIRCA FLUMINA PUBLICA devolvor, quæ licet hodie in patrimonio Principis sint, eorumque præcipua commoda in fiscum referri cœperint, neque tamen in omnibus adhuc hodie ita res se habet. Neque enim argumentari licet: Flumina hodie sunt publica; Ergò quicquid est in iis, nedum quæ saltim sunt illa, eandem conditionem accepere, Mev. *P. 7. decis.* 301. Primo itaque hoc constat EX JURE ALLUVIONIS. Quanquam enim non desint, qui scribant, mores nostros hac in parte a jure Civili discessisse, vi cujus alluvionis

vionis (per quam *incrementum latens sive occultum* intelligunt, *quod flumen ita pedetentim fundo alicujus adjicit, ut oculis sensibusque non possit deprehendi.* vid. Cocceji *Diss. de jure alluvionum in Imperio* §. *1. add* §. *8.*) commodum ejus est, cujus est fundus alluvione auctus. §. *20. J. de R. D. l. 7.* §. *1. ff. eodem l. 1. & 3. de alluvion.* vid. Lauterb. *ad tit. de A. R. D.* §. *74.* aliique DD. ibidem, hoc jus hodiè ad REGALIA referunt, Ruland, *de Commissariis l. 2. P. 4. c. 15. n. 41.* Stypman. *de jure flum. P. 2. c. 5. p. 549. seqq.* Mylerus ab Ehrenbach. *de Principib. & statib. Imp. lib. 2. c. 66.* §. *8.* Beier. *ad Schultz. p. 232.* quorum quoque sententiam amplectitur Illustr. Thomasius *in D. de regalib. fisci Principum Imperii c. 2.* §. *6.* id tamen universaliter verum non esse, non minor Doctorum numerus adstruit, vid. Klock. *de ærario l. 2. c. 63. n. 8. seqq.* qui etiam de jure Gentium non Principis, sed prædiorum possessorum esse incrementum sensim adjectum existimat, iniquitatisque arguit, qui Principum æraria hoc modo locupletare student. Nos quidem hæc controversia non attinet, quæ a Grotio *de J. B. & P. L. 2. c. 8.* §. *11. & 12.* & Pufendorfio *de J. N. & G. l. 4. c. 7.* §. *12.* latè agitata est add. Thomas. *c. l. not. q.) p. 46.* Stryk. *in D. de foro conscientiæ c. 3. n. 23. n. 35. n. 47. n. 60. seqq.* Hertius *de superioritate territoriali* §. *63.* Saltim, quoad institutum nostrum jubet, mores præsentes respiciendi sunt, & si quidem, pace quod fiat Illustr. Thomasii, qui consuetam hanc chordam appellat, tam diu privatos contra fiscum incrementa agris suis adjecta sibi suisque, in fisci detrimentum, commodis adscribere credendum sit, quàm diu fundata ipsis per jus Civile intentiò manet, & lex vel consuetudo contraria nondum allata fuit ab illis, qui jus alluvionis ad Principum regalia absolutè referunt Schæpff. *Synops. jur. priv. tit. de A. R. D.* §. *58.* certè non diffiteor, de regula mores nostros fisco nondum tribuisse hæc emolumenta. Nam quæ de BELGII quibusdam locis, & TERRIS AD RHENUM sitis, testatur Grœnweg. *de LL. abrogatis ad* §. *20. J. de R. D.* quod ibi nempe contraria consuetudo introducta fuerit, extra hasce regiones nullum jus veteris derogatorium constituunt, quin potius, quæ aliquibus Principum vel Electorum in Rheno & aliis circa id privilegiis quibusdam singulariter concessa sunt, argumento esse puto, jure communi standum esse, *arg. l. 5. ff. de probat.* conf. omnino Mevius *p. 7. Dec. 301.* Imò in hoc ipso DUCATU WÜRTEMB. Principes clementer etiam indulgent, ut quilibet id, quod per alluvionem ita est adjectum, quietè possidere queat, B. Hochstetter *in Coll. Pufend. p. 338. in not. lit. a.* Nec desunt etiam in hoc loco exempla novissima. Et in tota fere Germania contrarium viget, aut ad minimum Juris Civ. dispositionem nullibi vel lege, vel consuetudine immutatam reperies, atque in SAXONIA alluviones ad privatos adhuc pertinere, ex jure Prov. Saxon. *leg. 2. art. 56. vers.* Was das Wasser,

 ostendit

ostendit Hoppius *in Commentario ad instituta tit. de R. D. in U. H. ad §. 20.* cui Patriam HAMBURGENSEM consuetudinem (legem enim scriptam hac de re vidisse non licuit) jungo Ibi enim, nisi præfecturam RZEBUTTELENSEM excipias, si quid adjectum fuerit agris, ad possessores eorum pertinet, inde quod, quæ intra aliquot annorum spatium accrescant, intra idem tempus per mare sensim iterum abripi soleant. Imò in ipso BELGIO hanc rem admodum dubiam esse, propter diversitatem consuetudinum & rerum judicatarum, fatetur, Vinn. *ad §. 20. I. de R. D.* Hinc nec aliter sententiam, quæ alluvionis jura plane cessare contendit, admittenda videtur Strykio *in U. M. ad tit. de A. R. D. §. 18.* quam si ripæ fluminum vallo vel aggere munitæ sint. Tunc enim agri quasi *limitati* fiunt, in quibus jus alluvionis etiam de Jure Civili locum non habet. *l. 16. ff. de A. R. D.* Latè Struv. *S. I. C. Ex. 41. §. 25.* add. Coccej. *de jure alluv. §. 10. & 11.* & per consequens illa pars terræ, quæ ultra aggeres est, so über den Dämmen nach dem Fluß ist, alveo adscribitur, & hinc una cum flumine ad Principem spectat add. Hopp. *cl. ibiq; cit.* Struv. *in S. I. C. exercit. 41. th. 26.* Coccejus *in d. Dissert. §. 13. & sqq.* cui limitationi hanc addunt alii, si per flumen aliud quodquam incrementum terrenum adjiciatur e. gr. granum auri & similia Clariss. Kress. *in Specimine Jurisprudentiæ for. p. 99.* Leiserus *in Jure Georgico l. 1. c. 42. n. 11.*

§. XXI.

Idem judicium esto de ALVEO, *qui totus & in universum à flumine ad aliam partem fluente* DERELICTUS est, & de *Jure Civili* acquiritur vicina prædia possidentibus *§. 23. J. de R. D. l. 7. §. 5. ff. eodem.* Hunc enim neque hodie fiscum sibi vindicare puto, nisi ubi expresso STATUTO commodis ejus prospectum est, quale de BATAVIS refert Vinnius *ad §. 22. n. 7. & §. 23.* cui convenit consuetudo in MARCHIA VETERI & DISTRICTU BRANDENBURGICO, ubi multi propterea Nobilium cum certa parte alvei investiri solent, Stryk. *U. M. tit. de A. R. D. §. 19.* eo quod etiam in *jure Provinc. Saxon. l. 2. art. 56. in f.* & *Prutenico l. 3. t. 1. a. 5. §. 1. & 2.* expressè observetur Juris Civilis tenor. vid. Hopp. *in U. H. ad §. 23. J. de R. D.* Ziegl. *de J. M. l. 2. c. 15. §. 56.* Philippi *Usu Pr. Instit. l. 2. t. 1. ecloga 8.* ubi Scabinos LIPSIENSES etiam m. Aug. 1600. ita pronuntiasse refert. Neque id me movet in contrarium, quod Thomasius *c. l. §. 5. p. 44.* ex ratione naturali Principis esse alveum talem, hincque ad eum semper pertinere, nisi ubi Jus Justinianeum introductum, dicat. Hic enim semper recurrit receptior magis sententia, quâ quotiescunque à jure Civili divortium factum esse docetur, probatio incumbit illi, qui ad Constitutionem Juri Civili derogatariam provocat, siquidem post illius factam semel receptionem regulariter illi standum sit, quod & in Saxonia inferiori aliisque locis to-

ta

ta die observari quotidiana praxis comprobat, add. Carpz. *P. 3. Constit. 31. Def. 14. 15.* Sande *Decis. Fris. l. 5. t. 2. def. 1. & 2.* Bonacin. *tr. de restit. in genere disp. 1. qu. 3 puncto 8. n. 30.*

§. XXII.

Quid circa INSULAM IN FLUMINE NATAM hodie obtineat, & an quoad illam fisci commoda stabilita esse dici possint, lubens prætereo, cum prolixè satis & plene de illo disseruerit Magnif. Dn. Præses *in Collat. J. C. cum R. J. Section. 2 th. 2.* add. præter Struv. *S. J. C. Ex. 41. §. 30.* & Heigium *p. 2. qu. 40. per tot.* B. Stryk. *U M. tit. de R. D. §. 21. seqq.* & junge denique, si placet, Faust ab Aschaffenburg. *in Consil. pro ærario classe IV. cons. 292.* ubi vocis Werder, Germanis insulam utplurimum denotantis significatum exhibet.

§. XXIII.

LAPILLOS, GEMMAS, MARGARITAS, quorum omnium diversa natura est *p. l. 19. §. 17. & 18. ff. de auro & argento leg.* aliaque in littore maris inventa de Jure Civili occupanti cessisse inventionis jure certum est. vid. *§. 18. J. de R. D. ibiq.* Vinn. *l. 3. ff. eodem.* & quidem ei, qui primus manu occupavit *l. 1. §. 1. de A. V. A. P.* Pufendorf. *de J. N. & G. p. 538.* Müller ad Struv. *Ex. 41. §. 21.* add. B. Frommann. *de amissione rei fortuitæ th. 13.* Hodie verò, uti Jus in littoribus quodammodo ad regalia refertur vid. Schulz. *ad tit. de R. D. lit. z.* Nicolaus Reusner *de inventione modi Dominii naturali*, Stypmann *de jure marit. P. 2. c. 4. n. 111. seq.* ita, ut littora non saltim quoad *Jurisdictionem* & *Imperium*, sed etiam quoad *proprietatem* Principum esse contendat Stryk. *U. M. ad tit. de R. D. §. 8.* add. Ziegl. *de J. Maj. l. 2. c. 15. §. 19. 20. 21.* ita etiam, quicquid in littoribus invenitur, ex plenitudine potestatis fisco suo Principes nostros adscribere tradunt Doctores quam plurimi, quos adducit Lauterb. *in Colleg. ad tit. de A. R. D. §. 28. & in disp. de thesauris th. 2.* add. Struv. *S. J. C. Ex. 41. §. 22.* Excellentiss. Dn. D. Majer, Fautor ac Præceptor meus Colendissimus, *in Commentario ad Inst. p. 347.* Ego quidem quoad justitiam hujus apprehensionis, à fisco faciendæ, non refragor. Innuit illam eleganter Grotius *L. 2. de J. B. & P. c. 8. n. 5.* his potissimum verbis: *Principibus ab illis rebus incipiendum, quæ sine damno cujuspiam tribui possint, cujusmodi sunt res omnes, quæ in Dominium nullius pervenerunt.* Conf. Struv. *c. l.* Busius ad *l. §. pen. de jure fisci* &, qui in specie quoad lapillos & gemmas id asserit, *Cyprianus Regneri*, ap. eund. Struv. *S. J. F. c. 6. aphor. 7. n. 1. p. 183.* An verò Juris Civilis dispositio ante allegata plane abrogata hodie sit, de eo adhuc merito dubito sicque ex eadem ratione inter *neglecta fisci commoda* refero, quòd in aliquibus saltem locis proventibus ejus augendis hac in parte leges prohibitivæ reperiantur. Quamquam enim id me non lateat, JURE PRUTENICO *succini*

collectionem gravissimè interdictam esse. vid. *Lib. 3. t. 1. a. 3. §. 3.* add. Happelius *in mundo tripartito p. 296.* ubi refert, Duces Borussiæ sæpè unico anno ultra viginti marcarum argenti millia ex succini collectione conficere, itemque in RHENO flumine absque concessione Principis aurum quærere non licere testatur, Noë Meurer *tr. de jure aquarum P. 1. fol. 6. 9.* ibi: die Gold-Gruben im Rhein werden für ein sonder Regal der Hohen Obrigkeit zuständig gehalten. Inde tamen concludere haud possumus, ita planè fisci commoda quoad hoc hodie amplius non negligi, ut exiguæ admodum utilitatis sit Juris Civilis dispositio, quæ sententia est Hoppii *in U. H. ad §. 18. I. de A. R. D.* ubi tamen, præter Jus Prutenicum, nullum aliud allegat, quo communiter regalibus suis jus circa inventa quæcunque in littore sibi adscripsisse hactenus Principes probare possit. At enim vero, post habitis exteris regionibus, in quibus certè nec omnibus similes collectiones subditis interdicuntur, uti de DELPHINATU quoad aurum in littoribus inventum testatur ex Franc. Marc. *decis. 121. §. 1.* a se allegata Heig. *p. 2. qu. 40. n. 149.* id potius sustinebo, non alibi modo, sed in ipsa BORUSSIA fisci commodis hac in parte nondum satis vigilatum esse. Neque credo etiam, aliquem lapillum aut gemmam, quæ nullius sit, in littore, aut monte, aut alibi inventam sibi retinere prohiberi, nisi ordinarius inde proventus ad Principem redundet, quâ in re mecum conspirat Clariss. Trierius *in animadver. ad Hoppii Examen Jur. Civil. animadv. 78.* Stryk. *U. M. ad tit. de R. D. §. 9.* quod enim ad reliquas extra Borussiam regiones attinet, vel desunt leges, quibus subditis inventio hæc interdicitur, forsan, quia in littoribus vel plane non, vel raro saltem, aliquid pretio constans reperiatur, vel Juris Civilis dispositio per consuetudinem corroborata est. Sic in POMERANIA *succini* collectio in littore maris, Stypmann *de jure marit. P. 2. c. 4. n. 2.* & alibi granorum auri collectio ex fluminis ex. gr. sale, arena, privatis adhuc permissa est Excell. Dn. Ludovici *ad tit. ff. de. A. R. D. §. 8.* Idem de succini collectione privatis in Ducatu Megapolitano relicta refert. Schöpfer *in Synopsi Juris privati ad tit. de A. R. D. §. 32.* & res levidenses, in littore maris collectas, fere communiter inventoribus relinqui testatur. Stryk. *U. M. ad tit. eund. §. 12.* Quod verò ipsas regiones Borussiacas concernit, certè, si inspiciamus verba Juris Pruten. *l. 3. t. 1. a. 3. & §. 3.* ita illa se habent. Es ist die Lufft, das Meer, sammt dem Ufer und Gestaten dessen, wie auch das Regen-Wasser, durchaus allen lebendigen Creaturen zugleich frey und gemein, darum kan noch mag an den Gestaten des Meers Fische zu fahen / oder etwas anders zu suchen / niemand verbotten oder verwehret werden / ausserhalb des Bornsteins, welchen an den Gestahten des Meers aufzulesen bey höchster Straff in unserm Hertzogthum Preußen verbot-

verbotten seyn. Hinc enim constat, solam succini collectionem fisco suo addixisse Legislatorem, non gemmas, non conchas, non corallia, non uniones, non adamantes, quas simili jure sibi vindicare potuisset. Cl. Kress *in Specim. Jurispr. forens. p. 69.* exceptio verò uti in casibus non exceptis semper firmat regulam, ita hic etiam non aliter statuendum est.

§. XXIV.

Adductus prope essem traditis Sixtini *tr. de regal. t. 2. c. 16.* ubi operosè largum pro se Doctorum numerum allegat, ut circa METALLIFODINAS IN FUNDIS PRIVATIS REPERTAS (de cæteris enim dubitationis causa nulla superest) eatenus fisci commoda negligi adhuc putarem quatenus Jus Civile Romanum quoad illas privatis magis quam publicis proventibus consuluisse certum est, siquidem venas metallicas una cum metallis & mineralibus in fundo privato repertas, dominii aut proprietatis jure illi addixit, cujus iste fundus proprius esset, *l. 3. in f. l. 4. l. 5. §. 1. de rebus eorum, qui sub tut. l. 3. C. de metall. l. 4. §. 7. ff. de censib. l. 7. §. 13. & 14. ff. sol. matr. l. 13. §. 5. ff. de usufruct. l. 13. §. 1. de comm. præd.* soluto saltim certo Principi vectigali *l. 17. §. 1. ff. de V. S. l. 13. ff. de publican.* Late Magnif. Dn. Præses *Collat. Jur. Civ. cum Recess. Imper. Sect. II. th. 3. p. 10.* ubi etiam utriusque sententiæ Patronos, quorum una etiam moribus Germanorum rem ita se habere, regalibusque fisci venas in talibus fundis repertas tam juxta Textum *2. F. 56.* quam *A. B. c. 9.* nonnisi *secundum quid* & quoad *Canonem metallicum* vel in decima vel octava vel alia, juxta loci consuetudinem, parte consistentem adscribi putat, altera verò plane & in totum sicque illis annumerat, ut in Principis mera potestate meroque arbitrio positum sit, velint ne domino fundi sub onere decimarum perceptionem fructuum ex fodinis illis permittere vel sibi reservare. Et speciosa, fateor, sunt quæ contra superiorem hanc sententiam in medium profert, post alios & Faustum præcipue ab Aschaffenburg *in Consiliis pro ærario cl. 6. Cons. 20. p. 237. 243.* add. idem. *cl. IV. cons. 248. p. 149.* sæpius nobis allegatus Scharff. *in Disp. de iis, quæ juribus fisci perperam accensentur c. 2. §. 4.* largo etiam Doctorum idem secum sentientium numero stipatus id verò maximè urgens, Jus Civile Romanum per dictum *Cap. un. 2. F. 56. & A. B. c. 9.* non esse correctum, sed salvam adhuc inter fundos publicos & privatos quoad metallifodinas manere distinctionem. Ast quod hac in parte fiscus non habeat, cur de neglectis emolumentis suis sollicitus sit, certè non modo ex ipsa dictorum textuum veriori ac magis congrua interpretatione, sed ipsa etiam Imperii hodierna & generali fere consuetudine, rebus etiam judicatis firmata, nec obscure in R. J. de anno 1541. §. Dieweilen wir aber, sine ullo discrimine corroborata, post multos à se laudatos late adstruxit Magnif. Dn. Præses *all. loco,*

quod

quod in transitu saltim monere volui, ne insigne exemplum præteriisse viderer.

§. XXV.

Aliter verò res se habet, quoad THESAUROS. Quin enim quoad illos Jus Civile, quod commodis fisci parum vel nihil hac in parte tribuit, in viridi hactenus observantia permanserit, extra dubitationem positum esse arbitrior. Et juvat ante omnia eâ, quâ fieri poterit, brevitate, dispicere, quando Jus Civile fisco adscripserit thesauros vel integros vel ex parte. Olim quidem ante LEONIS constitutionem fodiendorum thesaurorum facultatem a Principe prius impetrandam fuisse, *arg. l. un. C. de thesauris* multi volunt interpretes, quibus tamen respondet, Ziegl. *laud. loc.* §. *11.* & hoc saltim ad acquirendum thesaurum jam effossum necessarium fuisse docet. Nostra hoc non magis interest, quam centies a Doctoribus tradita hic repetere, quomodo pro diversitate vel loci, ubi repertus fuit thesaurus, vel modi, quo effossus, Jus Civile de Dominio thesaurorum disposuerit. Id saltim agam, ut quid circa thesauros fisco addicendos statuerit, repetam. Integrum thesaurum fisco tunc tribuit, *si arte illicita & prohibita* inventus fuerit in loco inventoris *proprio*, ex. gr. sceleratis sacrificiis *d. l. un. C. de Thesaur. l. 5. C. de malefic.* Peregr. *de Jure fisci L. 4. t. 4. n. 2.* Cardinal. de Lugo *de justit. & jure disp. 6. sect. 11. n. 12.* aliique a Lauterb. *d. D. th. 19.* adducti, ubi etiam, quid per locum proprium intelligat, prolixè docet. add. idem *in Coll. ad d. tit.* §. *36. seqq.* dixi notanter *proprio.* Quamquàm enim non desint, qui thesaurum arte illicita in fundo alieno inventum pariter fisco adjudicent, uti Molina *de J. & J. tr. 2. disput. 56. n. 1.* Berlich. *parte 2. concl. 66. n. 11.* plurimi tamen DD. contrarium statuunt, & Domino illius fundi integrum thesaurum relinquunt, tum quod in nullo juris textu limitatio hæc reperiatur, tum quod potius *in d. l. un.* generaliter dicatur, *illum, qui in alieno loco thesaurum scrutatus invenerit, totum hoc locorum Domino reddere compelli, & velut temeratorem legis saluberrimæ puniri.* Sixtin. *de regal. l. 2. c. f. n. 34. seqq. p. 315. & seq.* Lauterb. *d. D. th. 26. p. m. 29.* & *de jure fisci c. 3.* §. *9.* Inter media verò illicita refertur *consultatio aruspicum, necromantarum* & similium *d. l. 5. C. de malefic.* cujusmodi horrendum exemplum recenset Carpzov. *Praxi Crim. n. 41.* Evocationes spectrorum Anruff- und Beschwehrung der Geister, projectiones globulorum Lauff der Faden-Knäulen, visiones per specula, Chrystalla, characteres &c. vid. Leiser. *in jure Georgico l. 3. c. 25.* §. *47.* An verò fiscus thesaurum sibi ideo vindicare queat, quod illum quasi à spectro aliquo sponte sibi indicatum vindicaverit, vid. Schœpff. *ad tit. de A. R. D. n. 47.* ubi negat, si nulla ars magica adhibita fuerit. Neque verò *virgulam mercurialem*, (cadentem) inter tales artes magicas referre

referre solent, quanquam multi è Physicis & JCtis usum talis virgulæ magiæ illicitæ adscribant, & cum pacto Diabolico implicito conjunctum esse asserant, uti Sperling. *in Diss. An virgula mercurialis agat ex facultate occulta?* & alii quos notat Dietherus *in continuat. Thesauri Besold. voce* Hexen, quibus plenè satisfactum est. a B Frommanno *in tr. de fascinationibus L. 3. P. 15. c. 4. §. 1.* adde Zeidlerum *in Panto mysterio* von der Wünschel-Ruth, cum Præfat. Illustr. Thomasii An. 1700. in 8. Matth. Willenium in der Beschreibung von der Wünschel-Ruthe, Ao. 1694. 8. editam. Stryck. *U. M. t. de A. R. D. §. 16. ibique adductos.* Hactenus de thesauris in loco privato repertis. Nunc videbimus, quid Jus Civile circa thesauros in loco extra patrimonium privatorum & qui in nullius bonis censetur, repertos statuat. Hic quidem regulariter inventori totus cedit, ex generali illa ratione, quod, quæ nullius sunt, occupantis fiant. Lauterb. *d. D. th. 29.* Hinc in mari, in littore maris, vel simili loco, thesaurum occupans totum sibi retinet. In eo tamen exceptionem hæc patiuntur, quando in locis vel sacris vel religiosis, utpote quæ pariter in nullius bonis esse censentur, §. 7. *seqq. J. de R. D.* thesaurus inventus fuerit. Ibi enim, si fortuito id factum, Imperator Hadrianus relinquit quidem illum ex asse inventori §. 39. *J. de R. D.* §. 3. Si verò data opera quæsitus fuerit, totus cedit fisco, per expressam constitutionem Textus unici 2. *F. 56.* in locis verò fiscalibus vel Civitatis inventus fortuitò pro dimidiâ parte inventoris pro dimidia fisci esse debet *d.* §. 39. *& d. 2. F. 56.* nisi thesaurum inveniens partem fisco debitam supprimat, quo nempe casu in pœnam inventoris non modo totus fisco applicatur, sed ille insuper alterum tantum debet solvere, *per l. 3. §. f. ff. de jure fisci*, uti data opera quæsitus pariter totus ad fiscum pertinere debet. vid. Lauterb. *d. D. thes. 30.* Quanquam verò circa hoc punctum irreconciliabilis videatur, *l. 3. §. 10. de jure fisci*, multumque contentionis inde inter interpretes ortum, hæc tamen uti nimis prolixa apud alios a Lauterb. allegatos evolvi malim, præsertim ubi Friderici Imperatoris sententia in d. cap. promulgata, hodie obtineat, ubi non statutis vel alia ratione immutata fuerit: Confer. Schilter. *Ex. ad ff. 45. §. 30.* ubi eleganter docet, maximè errasse quatuor illos Antecessores Juris Bononiensis, studii Irnerii discipulos, Bulgarum, Martinum, Jacobum de Regione & Hugonem ad hanc controversiam ab Imperatore Friderico accitos, ut indicarent in veritate omnia jura regalia, quæ ratione Imperii in Lombardia ad ipsum spectarent & sua esse deberent, quod in *d. c. 2. F. 56.* ultimo loco inter regalia referant dimidium thesauri in loco Cæsaris inventi, cum tamen de eo nulla nec quæstio nec dubitatio fuerit, quùm, quod singulis privatis acquireretur in suo solo, fisco aut Imperatori denegari per se non posset, sed de acquisitione the-

 saurorum

saurorum in universum extra fundos fiscales repertorum quæstio fuerit, tanquam de regali; Et idem in sequenti §. *31.* ita: *At, quidquid sit, quia tamen Fridericus I. hac re tum contentus forte, quùm aliàs repetitio regalium satis odiosa esset, & invidiosa Pontifici, & postea libris juris feudalis insertum hoc capitulum fuerit, atque error suo modo etiam jus faciat, ex hinc contigit, ut in foro nostro hoc jure utamur.*

§. XXVI.

Hæc *Schilterus.* Sed objicietur forsan *Grotianum* illud assertum quod asseclæ ejus, utpote Arnisæus de *d. J. M. c. 6. n. 23.* Christinæus *Vol. 5. dec. 16. n. ult. dec. 17. n. 9.* aliique, quos citat. Struvius *in S. J. F. p. 432.* hic allegare solent, qui *de J. B. & P. l. 2. c. 8. §. 7. Germaniæ*, inquit, *populi thesauros, ut & alia ἀδέσποτα addixerunt Principi, atque id jus nunc commune est & quasi Gentium; Nam & in Germania, & Gallia, & Anglia, & Hispania, & in Dania id observatur.* Verum enim verò majori fiducia quam veritate Grotium fisco thesauros hodie adjudicare indistinctè, singularum ferè provinciarum, ubi scil. contrarium adhuc viget, mores ostendunt. Quæ etiam ratio est cur post Zieglerum *de J. M. l. 2. c. 20. §. 19.* hæc in verba prorumpat Lauterbach. *d. l. th. 31. Nos non de justitia sed de facto hujus consuetudinis dubitamus. Quamvis enim ex naturali ratione res nullius occupanti cedant, attamen nihil obstare, quò minus legibus & moribus aliud constitui possit. &c.* Videamus igitur de facto, & singulas Provincias a Grotio allegatas perlustremus. Ordiamur a GERMANIA, præsenti scil. ejus statu; de antiquo enim fiscum non jure saltim privatorum thesauros in suis repertos fundis, sed regalium jure indistinctè illos acquisivisse satis forsan constaret ex legibus, quas THEODORICUS VERONENSIS Rex Gothorum, & FRIDERICUS IMPERATOR & Rex Siciliæ hanc in rem tulere. vid. Schilter. *d. l. §. 26.* ubi *& §. 27.* Jus Vetus SAXONICUM adducit, quale fisci jus suâ ætate exolevisse gratulatur *Calpurnius Seculi IIItii* sub *Carol. Imperat. Poeta eclogæ 4.*

Jam neque damnatos metuit jactare ligones
Fossor, & invento, si fors dedit, utitur auro
Nec timet, (ut nuper) dum jugera versat arator,
Ne sonet offenso contraria vomere massa,
Jamque palam presso magis ac magis instat aratro.

De hodierno verò contraria certè consuetudo viget. Præterquam enim, quòd non modo generaliter juxta *Jus Commune* controversiam de thesauris in judiciis & tribunalibus decidi testetur. Sixtinus *de regal. l. 2. c. f. n. 1. p. 339.* ubi simul refert, se in eleganti facti specie de thesauris ex juris communis dispositione respondisse, ac secundum responsum illud in supremo Hassiæ dicasterio

sterio & in Camera Imperiali, ad quam a parte victa appellatum erat, pronunciatum fuisse; specialiter certe id de singulis ferè Germaniæ provinciis affirmari potest. De SAXONIA id præjudiciis testantur. Carpz. *P. 2. const. 53. def. 4. seqq.* Stryk. *U. M. tit. de A. R. D. §. 14.* de Jure PRUTENICO & CULMENSI Hopp. *U. H. ad eundem tit. §. 39.* de Jure SUEVICO post Fridericum (antiquis enim temporibus Veteri Jure communi Teutonico usi videntur) Schilter. *d. Ex. 45. §. 32.* de NORIMBERGA & MULHUSA Stryk. *c. l. §. 15.* ubi eorum *statuta* integra exhibet, & HAMBURGI ac LUBECÆ idem obtinere concludit, quia speciales de thesauri inventione dispositiones ibi non extent. *In* GALLIA *vero* & LUSITANIA totum thesaurum non ad Regem pertinere testantur, quos hanc in rem laudat Lauterb. *d. D. §. 31.* de BELGIO ipsa hoc agnoscit Grœneweg. *de LL. abrogatis ad §. 39. J. de R. D.* & *fiscum præter quædam transactionum instrumenta cum nonnullis inventoribus inita, nullum juri suo titulum remve judicatam exhibere posse* docet; quare & in hoc negotio sequendam constitutionem Juris Romani putat, Vinn. *ad eundem §. p. m. 208.* Ex quibus adductis facile patet, nisi ANGLIAM excipias, ubi per legem WILHELMI I. *thesauri de terra regis sunt, nisi in ecclesia vel cœmeterio inveniantur*, memorante Henrico de Knighton, *de evintib. Angliæ* ad annum 1087. apud Hertium *ad Puf. l. 4. c. 6. §. 13.* & SCOTIAM, de quâ vid. Schilter. *Ex. 45. §. 28.* & DANIAM forsan (de quâ dubito) Juris Civilis dispositionem quoad thesauros adhuc vigere, hincque fisci commodis neque hic nondum prospectum esse, quidquid etiam sentiat Illustr. Thomasius *d. D. de regalib. fisci §. 3. p. 40.* contra quem eadem semper recurrit responsio, tamdiu jus commune in observantia adhuc esse, quamdiu non modo non abolitum, sed statutis etiam & præjudiciis, uti hic, confirmatum est, sicque inter jus & factum semper hic distinguendum esse. Hoc enim uti semper probatione indiget, ita tutius est in illo manere quòd scriptum Hopp. *c. l. p. 187.* & dum de neglectis fisci commodis dissero, non de eo, quid Princeps per novas leges introducere, eisdemque fisci sui commodis melius possit prospicere, sed quid pro præsenti rerum statu jamdum in praxi obtineat, disputo. Stryk. *U. M. d. l. p. 94.* Scharff. *d. D. c. 2. §. 1.*

§. XXVII.

Antequam vero THESAUROS relinquam, illud adhuc Coronidis loco circa hanc materiam indicandum, non modo Jus Civile, &, quod ei suffragatur, allegatum Capitulum Friderici observari in quam plurimis quoad thesauros, sed in detrimentum fisci etiam sequenti casu unicam ab illo discessionem fieri. Scilicet, sicut *de jure Civili* per adducta in §. 24. *in fine* Thesaurus *in loco religioso* data opera inventus fisco cedere debebat, ita hodie omne jus illud fisci ECCLESIIS nunc tribuitur, utpote in quarum dominio hodie sunt loca religiosa.

Inde, si Thesaurus in iis fortuito inventus, inter ecclesiam & inventorem est dividendus, ex ea ratione, quod loci religiosi non amplius privati sint (quo casu totus inventori cederet) sed publici, qui locis fiscalibus *in* §. *39. J. de R. D.* æquiparantur, si vero data opera, totus Ecclesiæ relinquendus. Confer. Finckelthusius *Disp. 4. de feud. qu. 20. lit. c.* Sixtin. *de regal. l. 2. c. f. n. 38.* Peregr. *de jure fisci l. 4. t. 2. n. 7.* Schulz. *de feudis c. 7. n. 187.* Arnisæus *de jure Maj. l. 3. c. 6. n. 24.* Klock. *de ærario l. 2. c. 117. n. 23. add. n. 31. seq.* ubi elegantem historiam exhibet de CAROLO IV. IMPERATORE Thesaurum in Monasterio sibi ostensum & a Monachis oblatum detrectante, eaque quæ Deo & Ecclesiis devota essent, concupiscere abnuente. His accedunt Hopp. *d. l. p. 281.* & Schilterus *d. l.* §. *31.*

§. XXVIII.

Et hæc quoad generales acquirendi modos præcipua arbitror esse exempla, quibus mores nostri de augendis fisci commodis nondum adeo soliciti fuisse videntur. Si quædam forsan omiserim, aut exigua certè erunt, & cum non magno fisci detrimento conjuncta, aut, in quibus præstat ipsi fisco, rerum quarundam neglexisse proprietatem, quam illam sibi adjudicasse, quod posterius exemplo *riparum* probat Stryk. *U. M. tit. de R. D.* §. *15.* ibi: *quod Dominium riparum plus oneris, quàm commodi contineat. Involvit enim hæc proprietas necessitatem ripæ muniendæ vel reficiendæ, quod unus utilitatem dominii multis parasangis excedit, ut hinc fiscus, qui commodis tantum intentus, dicam scribere noluerit privatis riparum Dominis.* Opponi quidem Strykio hic posset, nihilominus fiscum hodie sibi vindicare ripas, si ex sententia Zœsii ac Desselii *in not. ad. d. t. de R. D.* procedendum esset. Hi enim propterea id statuunt, quia in *c. un. 2. F. 56.* regalibus accensetur *ripaticum.* Verùm, quod *ripaticum* ibi nihil aliud quam *Vectigal* vel *portorium*, quòd flumen trajicientibus imponitur, denotet, (conf. hic Sixtin. *de regal. l. 2. c. 5. p. m. 49.* & qui in explicanda hac voce prolixus est Faust ab Aschaffenburg *Cons. pro ærario cl. 6. Cons. 17. p. 233.*) ex eo evidenter apparet, quod *jus trajectus*, die Fähr-Gerechtigkeit, ob quod ripaticum solvitur non accolis fluminis, sed Principi tanquam regale competit, nisi a Principe tacite vel expresse alicui privato sit concessum, salva tamen privatis utrobique riparum proprietate manente. Cl. Kress. *in Specim. Jurisprud. for. p. 70.* & Philippi *in Us. Pr. J. h. t. Ecloga 9.* Addatur ipse Stryk. *c. l.* ex quo etiam responderi potest Illustri Thomasio *ad J. d. t. p. 114.* ubi proprietatem riparum ad privatos hodienum adhuc pertinere negat. Siquidem sic fiscus etiam expensas refectionis in se recipere deberet, si invitis Dominis transitum per ripas concedendi & vectigal eo nomine exigendi facultatem sibi assumeret.

CAPUT

CAPUT III.

DE NEGLECTIS FISCI COMMODIS, QUOAD MODOS IPSI ACQUIRENDI SINGULARES DISSERENS.

SUMMARIA.

§. *I. Transitus ad modos acquirendi singulares, quibus fisco acquiritur.*

§. *II. 1)* In POENAM delinquentium, *Jure quidem Pandectarum per consequentiam in delictis capitalibus, quod tamen mutatum per Nov. 17. & 134. & Auth. Bona damnatorum, quæ etiam collaterales præ fisco admittit, Imerius defenditur, Usus hujus Auth. probatur.*

§. *III. Quid in detrimentum fisci hic statuerit* Carolus V. *in Sanct. Crim. art. 218. quomodo hic artic. interpretandus?*

§. *IV. an in delictis, in quibus hodie confiscatio adhuc viget, saltim successio ab intestato ad tertium gradum obtineat? an vero testamenti factio omnimoda reis permittatur? quod posterius de Jure Civili etiam novissimo negatur, de consuetudinario Germanorum affirmatur,*

§. *V. Et ampliatur etiam quoad illos, qui ante factam condemnationem violentas sibimet manus intulerunt.*

§. *VI. de deportatis, damnatis ad ferrum, aut bestias, aut in metallum remissive. Klockii judicium de fisci utilitate quoad damnatos in metallum hodie neglecta. De damnatis ad opus publicum, quibus denegatur reg. testamenti factio. De bannitis, De annotatione bonorum rei aufugientis hodie adhuc usitata.*

§. *VII. Remissivè & per transitum* a) *de pœnarum multarumque compendiis,* b) *de pœna ex popularibus actionibus privato reg. applicanda* c) *de pœna emtionis venditionis rei litigiosæ.* d) *de rebus furtivis non fisco sed Domino adjudicandis &* e) *de condictione furtiva, suspenso licet reo, contra hæredes competente.*

§. *VIII. 2)* ob aliam causam, quam pœnam, *ubi 1) de BONIS VACANTIBUS. Eorum definitio. An fiscus illa jure regalium, an hæredis titulo acquirat? an cum onere æris alieni, exsolvendorum legatorum & conficiendi inventarii?*

§. *IX. Fisci incommoda circa bonorum Vacant. acquisitionem consistunt* primo *in eo, quod hodie omnes a latere cognati ipsum in infinitum excludant. Praxis varia. Quid in feudis obtineat? Beustius plagii notatur.*

§. *X.* Secundo, *quod* juris titulo *fiscum, hodie maximè, antevertant, 1)* conjuges. *De Bonorum Possessione Prætoria. De successione conjugum statutaria. Ampl. quoad* sponsos. *Quid Justinianus in Nov. 53. & 117. conjugibus novi indulgeat? 2)* Liberalitatis Imperat. socii. *3)* Collegia. *4)* Ecclesia *in bonis Clerici. An etiam* Academia? *An* Hospitale? *5)* Patronus *in bonis liberti, non tamen 6)* Tutor *in bonis pupilli. De* præscriptione *quadriennali.*

§. *XI. II.) de* REBUS pro *DERELICTO* habitis. *Distingu. inter res mob. & immob.*

§. *XII. III.) de* BONIS NAUFRAGORUM, *quæ Illustr. Thomasius minus recte fisco vindicat. Consuetudo Hamburgensis peculiaris novissima.*

§. *XIII. IV.) de HIS, QUÆ UT INDIGNIS* auferuntur, *quem titulum non quidem per omnia abrogatum esse asseritur, in quibusdam tamen casibus fisci jura hic limitari & rescindi, quod ostenditur.*

§. *XIV. 1.) in casu ejus, qui aliquem testari coegit, quid, si quis prohibuerit?*

§. *XV. 2.) in casu inultæ necis defuncti.*

§. *XVI. 3.) conjugis a conjuge occisæ.*

§. *XVII. 4.) parentis a filio vel fratris a fratre occisi.*

§. *XVIII. 5.) cujuscunque defuncti occisoris; quod incapacitatis causa cum indignitatis causa concurrens fortior habeatur. An vulgariter substitutus obveniente tali casu excludat fiscum?*

§. *XIX. 6.) exemplo uxoris intra annum luctus renubentis.*

§. *XX. Conclusio.*

§. I.

SINGULARES ACQUIRENDI MODOS definio, quod sint, *qui certas tantum personas respiciunt, quibusque privatorum vel totum patrimonium vel certa ejus portio aufertur, fiscoque addicitur, vel ex particulari plane causa illi acquiritur.* Lauterb. *Coll. Th. Pr. ad tit. de Jure fisci* §. *8. 9. & 10*, qui hinc illos in universales & particulares dispescit, qua tamen distinctione cum magis placeat illa, quam *in disp. de jure fisci c. 1. §. 1.* habet, nempe ubi ex bonis privatorum fisco vel in eorum, quam meruerunt, pœnam, vel aliam ob causam, tribui & comparari dicit, eum quoque in præsenti capite ordinem servaturus sum, ut primum neglecta fisci commoda quoad pœnas, dein quoad easdem aliam ob causam provenientes recenseam.

§. II.

Jam quidem, quod ad POENAS EX DELICTIS fisco adjudicandas spectat, si jus PANDECTARUM intueamur, constat, graviores pœnas publicationem bonorum rei vel confiscationem secutam esse. Hinc non modo tunc reorum bona capiebat fiscus, ubi per expressam sententiam Judex eorum publicationem decreverat, sed tacite etiam illa ad ipsum deferebantur in omnibus illis delictis, ubi vel vita adimebatur, vel civitas, vel servilis conditio irrogabatur, utpote ubi per consequentiam sententiæ ad hærebat confiscatio, licet non exprimeretur *p. l. 1. pr. ff. de bon. damnat. l. 2. & l. 4. C. de bon. proscript.* hincque eo ipso etiam testamenti factionem amittebant *p. l. 8. §. 4. ff. Qui test. fac. poss.* adeo, ut testamentum antea per eos conditum irritum reddatur *p. l. 6. §. 5. & 6. ff. de inj. rupt. irr. l. 8. §. 1. ff. Qui testament. facere possunt.* Conf. Lauterb. *ad tit.*

Qui

Qui testam. fac. poss. §. 29. & ad tit. de bon. damnat. per tot. Peregrinus *de Jure fisci l. 3. t. 3. seqq.* Müll. *ad Struvium Exercitat. 32. §. 1.* temperatum tamen hoc Jus ab Impp. Theodosio & Valentino usque ad dimidium, reliqua parte liberis reservata *l. 7. pr. ff. de bon. damnat. l. 10. C. de bon. proscript.* Plane verò id in detrimentum fisci mutavit nova Justiniani Constitutio duplex, una quidem per *Nov. XVII. c. 12.* hisce verbis concepta. *Oportet autem te & in hoc omnem ponere providentiam, cum aliquis dignus apparuerit, pœna illum quidem punire, res autem ejus non contingere, sed sinere ejus & generi & legi & secundum illam ordini. Non enim res sunt, quæ delinquunt, sed qui res possident, at illi reciprocant ordinem: eos quidem qui digni sunt pœna, dimittunt; illorum autem auferunt res, alios pro illis punientes, quos lex forte ad illorum vocavit successionem.* Altera & recentior quidem in *Nov. CXXXIV. c. fin.* ibi: *Substantias eorum non fieri lucrum judicibus, aut eorum officiis, sed neque secundum veteres leges fisco eas applicari, sed siquidem habeant descendentes & ascendentes usque ad tertium gradum eos habere. Si verò mulieres habeant, qui condemnati sunt, omnibus modis jubemus, istas & dotem & antenuptialem donationem accipere, si verò sine dote talibus personis conjunctæ fuerint: a legibus definitam partem de tota substantia condemnati eas accipere sive filios habeant s. non si verò neminem prædictorum habeat, qui deliquit, tunc fisco sociari ejus substantiam. In majestatis verò Crimine condemnatis veteres leges servari jubemus.* Ex hac deinde Novella desumta est *Auth. Bona damnatorum l. 1. C. de bon. proscript.* ubi hoc adhuc additum legitur, quod præter *adscendentes* & *descendentes* usque ad *tertium* gradum in Novella memoratas, fiscum excludant etiam *Collaterales eodem gradu.* Vitiosæ quidem *Irnerii*, quem communiter pro auctore authenticarum reputant, sed vid. Magnif. Dn. Præses *in Collat. J. C. cum R. I. Sect. 16. th. 2. p. 28.* transcriptioni plurima Doctorum pars id tribuit, eaque propter hanc Novellæ extensionem in foro rejicit vid. Ant. Matthæi *de crim. c. 2. n. 2.* eo quod authenticæ ex Novellis Justinianeis excerptæ & privatâ autoritate Codici insertæ per se & ex se nullam juris auctoritatem habeant. Hahn. ad Wesemb. *tit. de bon. damnat. n. 6.* Lauterb. *in D. de jure fisci c. 3. §. 6. in f.* & in *prolegom. ad Coll. Th. Pr. §. 5. n. 9. in f.* quare in Irnerium vehementer invehitur Ant. Faber *decad. LXXIII. err. 4. 5. 6.* præterquam tamen, quod rem ita sese habere non ex errore Irnerii, sed ex novissimo usu fori Italici & edicto Theodorici Regis Italiæ c. LXII. quod integrum repetit, imò jus hoc non novum sed renovatum fuisse, siquidem jam in *l. 8. C. Th. de bon. proscript.* sancitum, ostendat eruditeSchilterus *Ex. ad ff. 38. §. 26. & in not. a.) add. id. Ex. 49. §. 175.* satis jam monet præter Brunnemann. *ad d. Auth.* & Dn. Menkenium *Diss. Sel. XII. th. 33.* Stryk. *in U. M. ad tit. de bon. damnat. §. 1.* communiter hodie *Collaterales* præ fisco admitti.

§. III.

§. III.

Converto me jam ad MORES NOSTROS, quos uti fisci commoda eôdem modo hac in parte adhuc negligere, quo Novellarum jure negligi cœperunt, nemo erit, qui dubitet. Conf. omnino Sixtin. *de regalib. lib.* 2. *c.* 12. §. *30.* præsertim, ubi de ipso GERMANORUM proprio jure ex delictis capitalibus nullum, si PERDUELLIONIS CRIMEN excipias, bonorum publicationi obnoxium esse certiores nos reddat IMPERATOR CAROL. V. *in Sanct. Crim. art.* 218. ubi Consuetudines istas, quibus contrarium viget, abrogandas penitus & abolendas jubet, conf. Magnif. Dn. Præses *in Collat. Jur. Civ. cum R. I. Sect.* 15. B. Lauterb. *de jure fisci c.* 1. *seqq.* ita magis forsan, & dixerim mox plane, proventus fisci quoad quam plurimas confiscandi causas in plerisque Germaniæ terris sublatas esse nunc ostendam. Erit tamen nulla mihi de eo controversia, an hæc bonorum publicandorum interdictio Carolina, quæ hisce verbis continetur: So ein Ubelthäter (ausserhalb des Lasters unserer beleidigten Majestät, oder sonst in andern Fällen, so der Ubelthäter Leib und Guth nicht verwürcket) vom Leben zum Tod gestrafft, Weib und Kinder an den Bettel-Stab, und das Guth dem Herrn zugewiesen werden, ita plane generalis sit, ut secundum quorundam interpretum, qui vel vocabulum oder expungi volunt, vel post vocem Guth addunt nicht dergestalt, wie in erwehntem Laster, indistincte omnis bonorum confiscatio in delictis, ubi bona non tantum per consequentiam publicantur, sed pœna confiscationis specialiter imponitur, prohibita reputanda sit, quorum non nullos adducit Lauterb. *de jure fisci c.* 3. §. 7. Satisfecêre his & similibus objectionibus, quæ magnæ etiam autoritatis JCtis probantur, ita, ut & Carpz. *Pr. Crim. qu.* 135. §. 22. *seqq.* illas amplectatur, diverso licet modo, eodem tamen fere coincidentes, ut alios præteream, illustris Dn. Lyncker *de bonis ereptitiis.* §. 9. *p.* 16. *seq.* Stryk. *V. M. tit. de bon. damnat.* §. 1. Hertius *de Superiorit. territor.* §. 42. & Excellent. Dn. Ludovici *in notis ad d. art. Ord. Crim.* qui intuitu delictorum *capitalium* quidem bonorum confiscationem non admittunt promiscuè, ne liberi protinus quævis ob delicta parentum ad mendicitatem redigantur, sed saltim *in crimine perduellionis*, quoad vero *non capitalia* toties illi locum concedunt, quoties expressa lege dictatur. Eadem est sententia Lauterb. *d. l. & in Coll. Pr. tit. de bon. damnat.* §. *ult.* Cl. Lüderi Menkenii *in D. de testament. fact. damnat. ad mortem* §. 33. Mevii *ad Jus Lubecens. l.* 1. *t.* 2. *art.* 3. *n.* 20. *sq.* ubi id vel mille exemplis Statutorum Germaniæ probari dixit & *P.* 5. *Dec.* 153. Klock. *de ærario l.* 2. *c.* 240. *n.* 14. *seqq.* Magnif. Dn. D. Schweder *in Introduct. ad Jus Publicum P. Spec. Sect.* 2. §. 11. cui præterea accedit etiam Hertius *c. l.*

§. IV.

§. IV.

Ast in eo cardo rei saltem versatur, an in delictis, quibus descendentes, adscendentes, imo & Collaterales ad tertium gradum admittuntur, iidem saltim fisco præferantur hodienum, an verò planè damnatis ad supplicia testamenti factio concedatur. De Jure Civili, etiam novissimo, quidem certum est, quod nunquam testamenti factionem reddiderit damnatis, uti præter Schilt. *Ex. 38. §. 27.* contra dissentientes cum largo numero jam adstruxit. Cl. Luder. Mencken. in *d. D. de testament. fact. damnat. ad mortem jure Civili denegata & moribus plerisq; asserta §. 4. seq.* ubi & ampliationes, & limitationes exhibentur. A quo nec mores nostros ullam discessionem fecisse putant, quos allegat Schütz *in Compendio Lauterb. p. 484.* quibus eatenus quoque accedit Strykius *U. M. ad tit. qui testament. fac. poss. §. 10.* ut extra SAXONIAM (ibi enim quod testandi licentia reddita ipsis sit indistinctè, Doctores Saxonici ad unum omnes non dissimulant. Vid. Titius *ad Schütz d. l.* Carpz. *Pr. Crim. P. 3. qu. 135. n. 20.*) tales damnatos tum quidem testari posse putet, si dicti gradus cognatos habeant, quos inæqualiter instituere possunt, hinc etiam, si extraneis quid ita velint relinquere, cognatorum consensu opus habere illos asserat in *Cautel. Testam. c. 3. §. 54.* Verum, si ad causam, quæ illis testamenti factionem ademit, respiciam, certè non video, quomodo etiam extra Saxoniam vigere adhuc jus Civile tam certo asserere possimus. Causam enim hanc, quæ olim intestabiles illos fecit, hodie cessare quis amplius dubitaverit. Certè cum tam extra quam intra Saxoniam præter servitutem pœnæ, utpote cujus solius sublatio civitatis restitutionem nondum conficit: latè Menken. *d. l. §. 15. seq.* & civitatis præterea amissio exoleverit, nemo amplius hodie damnatus civitatis jura amittit. Fuere in isto liberaliores Germani, & beneficium Juris Civitatis non adeo rigorosè denegarunt illis casibus, in quibus Jus Romanum id fecit. Unde, si quando capitis damnato vita donaretur a Principe, non opus est restitutione in integrum, quemadmodum Jure Rom. *l. 6 §. pen. ff. de inj. rupt.* Schilter. *d. Ex 38. §. 28.* Quare non ea mihi quidem mens sedet, ut illis in locis, in quibus vel retenta hac in parte Juris Civilis est dispositio, quemadmodum de MARCHIA-BRANDENB. & DUCATU BRUNSWICENSI adducto etiam præjudicio, firmat Stryk. *Caut. Test. c. 3. §. 55.* vel ubi contraria consuetudine non abrogata legitur, indistinctè testamenti factionem talibus damnatis asseram, cum potius Principes Jus Justinianeum, tanquam ærariorum suorum proventibus hac in parte magis proficuum recipere ac sequi posse, imò, ubi per conniventiam, uti loqui amat Strykius *c. l. §. 54.* neglectum hactenus id fuit, restaurare iterum ac confirmare, nemo sanus dubitaverit, vid. si placet, Mencken *d. l. §. 25.* in illis sc. delictis in quibus confiscatio bonorum per ordinationem Carol. planè non interdicta

 est,

est. vid. Mencken *d. l.* §. 32. & auctores §. 4. allegati, sed saltim juxta *Nov.* 134. restricta est. Attamen, si nec illud negari poterit Schiltero *d. Ex.* §. 31. quod hoc in argumento commodius decisio ex patrio Germanorum jure, ejusque maximè consuetudinibus petatur, ob cessantem sc. civitatis amissionem, quæ causam dedit sanctioni Justinianeæ, haud certè quid obstet video, quo minus in magnum fisci detrimentum plerisque locis hodie, extra criminis perduellionis reos, damnatorum ad mortem bona non solis tertii gradus vel *adscendentibus* vel *descendentibus* vel *Collateralibus* de regula (exceptiones enim & limitationes non omnes respuo, de quibus vid. Menken. *d. D.* §. 29.) relinqui, sed ipsos etiam damnatos quocunque modo cæteroquin de illis disponendi facultate gaudere statuo, qua in re præter Schilterum *d. l.* Menkenium §. 27. & §. 33. sequor sententiam JCtorum plurium celebrium, quos hi etiam non prætermisere, præjudiciis certè & decisionibus id firmantium, præcipuè vero Philippi *in Us. Pr. Inst. lib. 2. tit. 12. ecloga 51.* conf. Colerus *P. 1. Decis. 34.* Struvius *ad ff. Ex. 32.* §. *8.* Brunnemannus *ad Auth.* C. *de bon. proscript.* Carpz. *praxi Crim. P. 3. qu.* 135. §. *9. sqq.* & præcipuè §. 22. ubi his denique verbis mentem suam declarat: *Etsi verò lubens fatear, verissimam hanc esse sententiam, & testamenta talia de jure parum vel nihil valere; attamen hodie ferè ubique contrarium observari de consuetudine generali, ita ut hi, qui sunt decapitandi, plerumque in carcere faciant testamenta & instituant hæredes, qui ad successionem quoque admittantur, testes sunt Jul. Clarus & alii &c.* & Coleri decisionem ibidem in fine repetit. His denique novissimè accessit etiam Clariss. Schrœterus, Prof. Jenensis *in* D. *de legatis ad pias causas c. 3.* §. *17. p. 63.* imo, si Statuta EXTRA SAXONIAM proferre liceat, res clarè sese habet JURE WÜRTEMB. *P. 3. t. 2.* ubi hæc leguntur verba: denen aber, die nicht um hoher Malefitz und Ertzlaster, sondern solcher Mißhandlung wegen, welchen neben der Lebens-Straff die Confiscation der Güther nicht anhangt, zum Tod verurtheilet, lassen wir zu, daß sie vor oder nach dem Urtheil Testamenten oder Codicil (doch sonsten unserm Land oder den gemeinen Rechten gemäß) auffrichten mögen. Uti etiam exemplum nobis suppetit in infanticida, quæ in carcere Freudenstadensi liberè de bonis suis testata fuit. Notabilis etiam hanc in rem textus reperitur in Jure CIVITATIS FRANCOFURTANÆ AD MOENUM, *P. 4. t. 2.* §. *6.* a Schiltero *d. Ex.* §. *28. nota a.)* repetitus, vi cujus ad quodvis supplicium damnatorum testamenta, etiam post sententiam condemnatoriam condita, pro validis agnoscuntur, exceptis tantum eorum voluntatibus, qui *Crimen Læsæ Majestatis* similiaque delicta enormia commiserunt. Imo idemque in Patria quoque HAMBURGENSI obtinere, quotidiana praxis comprobat.

§. V.

§. V.

Iisdem itaque rationibus, quibus damnatis istis hodie testamenti factionem concedi statuo, illis in delictis, in quibus per *Novellam 134.* & *ordinat. Carol. d. art. 218. j. art. 135.* confiscatio bonorum ordinariè locum non habet, testamenta etiam eorum valere arbitror, fisco & commodis ejus exclusis, *qui ante factam condemnationem violentas sibimet ipsis manus intulere*, quorum nempe bona fisco semper addixit Jus digestorum, ubi constitit, illos conscientia patrati criminis in crimine mortem vel deportationem post se trahente, *l. 3. §. 1. ff. de bon. eor. qui ante sententiam &c.* deprehensos vel de eo accusatos aut inquisitos mortem sibi intulisse, *d. l. 3. pr. & §. 1. l. 1. C. eod.* hæredibus verò tunc saltim reliquit, ubi tædio vitæ propter pudorem æris alieni id fecissent, *l. 6. §. 7. de inj. rupt. irrit. l. 1. & 2. C. de bon. eor.* vel valetudinis adversæ impatientia aut furore, *l. ult. pr. & §. 3. de bon. eor. qui ante sententiam l. 45. §. 1. & 2. de jure fisci.* vid. *D. D. ad d. tit.* & inter hos Lauterb. itemque *in D. de jure fisci c. 3. §. 8.* Peregrin. *L. 4. t. 4. §. 1.* ubi etiam, cui probatio hic incumbat, pro diverso casu diversimodè explicat, (de quâ probatione etiam conf. Faust ab Aschaffenburg *in cons. pro erario cl. 9. cons. 30. p. 416. seqq.* & Heigius *P. 2. qu. 36. n. 34. seq.*) & præjudicium quoque de aliquo ob crimen *hæreseos* detento affert, cujus, cum mortem is sibi conscivisset, bona hæredibus relicta sunt. Quare, uti propricidæ ejusmodi per allegatos Textus exæquati fuere per omnia condemnatis, & perinde ac illi pro confessis habiti, indeque eadem etiam ad fundandam bonorum publicationem requisita fuerint necessaria, ita quoad hosce etiam hodie ob rationis paritatem indubitatum redditum, quod in quocunque delicto regulariter bona retinent nostris moribus jam damnati, & cum jure Civitatis salva etiam testamenti factio ipsis remanet, in eodem etiam retineant, qui ante condemnationem (certam tamen illis) vitam præclusere sibi ipsis, cum nulla adsit ratio, cur deterioris conditionis esse debeant. Cl. Menken. *d. D. §. 28.* Richter. *dec. 57.* & Schilter. *Ex. 49. §. 176.* ubi præjudicia. Brunnem. *ad l. 2. C. qui test. fac. poss. n. 8.* Struv. *Ex. 32. th. 8. n. 8.* Berlich. *obs. 43. n. 33.* Hinc etiam in *Constit. Elect. Sax. P. 3. const. 6.* facultas testandi ipsis relinquitur, quemadmodum etiam nec legibus Germanorum aliis adempta unquam invenitur, cum contrarium potius patescat *ex ord. crim. Caroli V. art. 135.* ubi bona eorum hæredibus relinquuntur, nisi in delictis, darinn er sein Leben und Guth verwürcket, quæ verba de crimine perduellionis intelligit Ludovici *ad dictum art.* Add. Stephani *ibidem*, & Stryk. *U. M. tit. de bonis eor. §. 1.* Lauterb. *in Colleg. ibidem §. 4. & de jure fisci §. 8.* ab iisque adductos.

§. VI.

De DEPORTATIS, DAMNATIS AD FERRUM aut ad BESTIAS aut in METALLUM qui *servi pœnæ* efficiebantur *Digestorum* Jure, & tanquam *civiliter mortui* bonis pariter excidebant ac damnati ad supplicia *l. 8. §. f. ff. Qui testament. fac. poss.* nunc quidem nihil addam, quoniam apud nos istos ignoramus hodie, quod tamen quoad *damnatos in metallum* haud abs re forsan neglectis ærariorum utilitatibus accenset Klock. *de ærario l. 2. c. 27. n. 17. in fine*, emphaticis hisce verbis usus: *O si hoc veterum institutum revocaretur in usum, quam multi in carcere multos annos continentur publico sumtu truncantur auribus ad palum ignominiæ publicè flagellantur, exilio mulctantur? Interim cum vitæ civiliter degendæ copia denegetur, ad furta latrociniaque iterum prolabuntur. Nusquam enim ob infamiam possunt consistere. An non præstet ejusmodi reos & verè nocentes, vel ad totam vitam velut pœnæ servos, vel pro delictorum mensura ad certum tempus in tenebras metallicarum speluncarum ablegare? Multas miserorum centurias hodie carceres continent, qui tam atrocia delicta non perpetrarunt, ut morte puniendi sint, cur non ad metallum damnantur auroque effodiendo deputantur, ut prosint reipublicæ pœnæ eorum, quorum scelera obfuerunt.* De damnatis verò nostris ad opus publicum, quibus per *d. Novell. 134. c. 10.* æque ac damnatis ad mortem prospectum fuisse melius videtur, quoad bonorum publicationem fisco alias applicandam; quare etiam illis perinde testamenti factionem concedit Manzius *de testam. tit. 2. n. 214. seqq.* paucis hæc monuisse sufficiat, in eo quidem pariter fisci hic negligi emolumenta, quod bona eorum *descendentibus, ascendentibus* & *collateralibus ad tertium* usque *gradum* excluso fisco relinquenda sint, etiam hodie; neque tamen inde *testamenti factionem* liberam illis, ac, æque ut ad supplicia damnatis, salvam esse, cujus diversitatis rationem hanc assignat B. Stryk. *de Caut. Testam. c. 3. §. 53.* quod hi civitatem ejusque jura non amittant, antequam ultimo supplicio reip. membrum esse desierunt, hincque, si quando capitis damnato vita donaretur a Principe non opus sit *restitutione in integrum*, uti *Jure Rom.* teste *Ulpiano* in *l. si quis 6. §. pen ff. de inj. rupt. irrito*, sed per simplicem aggratiationem cum donata vita omnis remittatur pœna, status autem *libertatis* vel *civitatis*, uti nunquam amissus, ita nec restituendus veniat, judice Schiltero *d. Ex. 38. §. 28.* illi verò tanquam deportatis æquiparandi, uti civitatis jus nunquam receperunt ullo jure, ita nec inde dependentem Testamenti condendi facultatem hodiè sibi poterunt vindicare, quare illis loco cautelæ commendandum, ut, si ærario Principis, deficientibus forsan tertio ipsis gradu conjunctis, bona sua addici noluerint, ad indulgentiam ejusdem confugiant, & ab eoque testam. factionem petant. Stryk. *d. l. §. 52.* quem etiam de BANNITORUM, præcipuè ubi ab Imperatore id factum, testamentis evolvi malo, quam illum exscri-

exscribere, ita tamen, ut, quæ de bannitorum a Principibus & Statibus Imperii, quos ille prioribus quoad amissum jus testandi similes judicat, testamentis ibidem affert, non ita planè mea faciam, sed potius, qui contrarium hic sentiunt eidemque etiam allegantur, omnino nec prætereundos esse existimem. Addatur Carpz. *Praxi Crim. qu. 140.* Id in transitu saltim hic indigitasse sufficiat, ANNOTATIONEM BONORUM REI FUGIENTIS, & pœnam *publicationis bonorum* eidem, si intra annum non compareat, irrogandam, neque per *Nov. 134. & authenticam: bona damnatorum*, uti quidam putant, correctam aut abolitam esse, vid. Sixtin. *de regalib. l. 2. c. 12. p. 189.* neque hodie vilescere, sed ut hoc modo tangam, tam de Jure LUBECENSI per *l. 4. t. 17. a. 1. t. 4. a. 13. t. 8. a. 3.* ubi conf. Mevius, quam de Jure Patrio HAMBURGENSI per *Statuta p. 4. art. 19.* in viridi adhuc vigere observantia. Add. Hamburgische Zehen-Pfennings-Ordnung. *a. 10.*

§. VII.

Hactenus in priori hujus capitis parte versati sumus, de illis sc. casibus intenti, quibus ex bonis privatorum in eorundem pœnam acquiri poterat fisco. Possent hic quidem nonnulla adhuc addi, quæ tamen vel ex adductis per se liquebunt, vel ita nota sunt & excussa, ut prolixiori haud indigeant explicatione, vel etiam, quamvis de neglectis fisci commodis testentur, ideo tamen non erant recensenda, quod æquius fisco hac in parte detrahi, quam prospici apparebat. Quare omittam hic quoque de POENARUM MULCTARUMQUE COMPENDIIS disserere, cum, quæ ibi forsan in fisci odium hodie maxime ordinata sunt a B. Lauterb. *in D. de jure fisci c. 2. §. 12.* Sixtino *de regalib. l. 2. p. 136. 137.* Faust ab Aschaffenburg. *Cons. pro ærario cl. 9. cons. 34. p. 431. sq.* aliisque jam annotata. Evolvatur de iisdem, ut alios taceam, Klock. *de ærario l. 2. p. 984.* Neque id in præsenti urgebo, quod exceptis quibusdam locis, uti de LUBECA testatur Mev. *ad Jus Lubec. P. 3. tit. 1. art. 12.* & de WÜRTEMBERGICO DUCATU *vi J. P. W. P. 1. t. 75.* §. Nach jetztgemeldten *& P. 2. t. 8. §. ult.* ibi: Frevel. refert B. Lauterbach. *ad tit. in quib. caus. pign. vel hypoth. tacitè contrahatur §. 11.* nullam alibi, quoad easdem pœnas, in bonis delinquentis, a die latæ sententiæ condemnatoriæ hypothecam fisco asserat communis Dd. Schola, quorum quamplurimos a se allegatos, inter quos Struvium *ad d. t. §. 15.* Frantzkium *ad t. ff. de pign. n. 33.* & Lauterb. *allegato loco* etiam recenset, sequitur novissime Scharff. in sæpè allegata *diss. de his, quæ jurib. ac priv. c. 5. §. 3. p. 61. seq.* Ubi etiam Carpzovio, qui præter alios ob generalitatem *legis Aufertur 46. §. 3. ff. de jur. fisci.* hic dissentit. Vid. *Jurisprud. for. P. 1. const. 28. def. 104.* ad longum respondet. Tacebo etiam id, quod pœna, quæ ex POPULARIBUS ACTIONIBUS reo imponitur, ex sententia communiori regulariter fisco neque in-

tegra neque pro parte, uti quidam putant; Vid. Bocer *de regalib. c. 3. n. 25.* sed tota actori sit applicanda, *per l. fin. de litig. l. 3. pr. de sepulch. viol. l. 12. pr. de V. S.* Bachov. *de action. disp. 1. th. 46.* Hahn ad Wesemb. *ad tit. de jurisdict. n. 13.* quibus etiam accedit B. Lauterb. *in Diss. de jur. fisci c. 2. §. 13.* conf. tamen idem *in Colleg. ad tit. de pop. act. §. 3. & 4.* & quæ de *Usu* earundem *hodierno* disserit Schilter. *Ex. 49. §. 58. seq.* ex eoque Stryk. *U. M. ad t. d. pop. act. §. un.* itemque Müller ad Struv. *eod. t. lit. i.* Silebo etiam de pœna, ex REI LITIGIOSÆ emtione venditione fisco acquirenda, *p. l. 1. pr. de Jur. fisc.* & quidem pro diversitate casuum diversimodâ. De quo vid. *D. D. ad tit. de litigiosis* & inter hos B. Lauterb. *ibid. §. 19. & alleg. D. §. 14.* Add. Peregrin. *de jure fisci l. 4. t. 6. §. 28.* Frantzkius *Var. Resol. l. 1. resol. 11.* Klock. *de ærario l. 2. c. 125.* Faust ab Aschaffenburg *cons. pro ærario cl. 9. cons. 32. p.* 424. quodque pluribus recensere mihi nunc incumberet, si satis se probassent illa, quæ de abrogatione hujus tituli attulerunt *Christinæus*, *Struvius*, *Grœnevvegius*, *Wissembachius*, *& alii*, à B. Lauterb. *d. l. §. ult.* & Magnif. Dn. Præside *in conclus. inaugur. jurid.* a Dn. Lt. Harpprechto defensis §. 6. adducti. Verum supersedere his possum, cum contrarium a laudatis, & quos ipsi sequuntur, viris, stabilitum fuerit, qui tamen & in hoc priori planè sententiæ non refragantur, concedendo sc. quod gratiam Principis implorando quis rem litigiosam absque vitio & pœna litigiosi alienare possit, restrictivè ad *pœnam fisco debitam*, non verò simpliciter ad *jus tertio jam quæsitum* eique invito non auferendum *arg. §. 2. J. de his, qui sui vel al. jur.* Magnif. Dn. Præses *c. l.* Neque id etiam neglectis fisci emolumentis, prout illa hactenus sumsi, annumero, quod vigore *Ordinationis Carolinæ art. 218.* consuetudines istæ, quæ olim in quibusdam GERMANIÆ locis viguerunt, imò hodienum adhuc in TURGOVIA, aliisque HELVETIÆ partibus nondum ignorantur. vid. Myler ab Ehrenbach *de Principibus & Statib. Imp. c. 39. §. 6.* tanquam irrationabiles visæ abrogatæ apud nos sint, quæ RES FURTIVAS non Dominis ipsarum restituendas, sed, quamprimum apud furem vel alium quem deprehenderentur, fisco adjudicandas statuerunt. Quare etiam hodie Magistratus rem furtivam ob expensas in inquisitionem factas retinere nequit, licet fur easdem ex propriis bonis restituere haud possit, quia in casu inopiæ furis hæ expensæ pro onere jurisdictionis in compensationem mulctarum, quas fiscus alias percipit, habentur. Richter *dec. 69. num. 176.* Excell. Dn. Ludovici *in Diss. de restitut. rei furtivæ c. 1. §. 27.* secus, si in ipsam rem furtivam necessarias impensas fecerit. *Ord. Crim. art. 213. Statut. Hamburg. P. 4. a. 35.* ibi: So soll es ihm ohne Entgeldtniß wieder geliefert werden, jedoch daß er die NB. darauf gewandte Unkosten gutwillig wieder erstatte. Ludovici *d. c. 1. §. 28.* &

Clariss.

Clariss. Wildvogel *in D. de condictionis furtivæ natura & usu hodierno* §. 17. quorum prior de illa ibi etiam quæstione agit, *an fure suspenso nihilominus ad rei furtivæ restitutionem contra hæredes agi possit condictione rei furtivæ*, quæ olim inter *Finckelthusium* maximè & *Carpzovium* ventilata fuit, Carpzovio certo saltim respecto, in casu sc. si res furtiva adhuc in bonis furis existat, eam affirmante in *Praxi Crim. q. 80. n. 101. seqq.* e contra Finckelthusio *Obs. 59.* eam simpliciter negante, utroque tamen, ut videtur, contra veritatem pugnante, si *Saxoniam* excipias, ubi secus esse nec ipse Dn. Ludovici diffitetur. Add. omnino Magnif. Dn. Præses *in Position. controv. ad L. 4. Inst.* §. 2. *per tot.* Sicuti verò omni id planè dubio caret, ut in ordinem revertamur, quod dicta *Ordinatio Carolina* quoad res furtivas, Dominis illarum a fisco reddendas, regulariter in foris nostris recepta atque rerum praxi confirmata sit, quorsum faciunt præjudicia, quæ Philippi in *Usu. Pr. Inst. Justin. ad l. 4. t. 1. ecl. 9.* attulit, quod etiam in Patria HAMBURGENSI speciali *P. 4. art. 35.* jam allegato ita obtinet, modo Dominus se talem esse legitimè probaverit. *Ord. Carolina art. 207.* ibi: Und so jemand derselben Haabe begehrt, und so viel anzeigt, daß ihm die unzweifelich geraubt oder gestohlen seynd, & *Stat. Hamb. d. l.* ibi: derselbe dem es zugehört, und den Eigenthum genugsam kan beweisen / quod juramento etiam a Domino rei præstito expediri posse putat Excell. Dn. Ludovici *ad Ord. Crim. d. art. 207.* si sc. vir probatæ vitæ ac fidei sit, hincque id etiam certum evadat, quod sola tantummodo rerum custodia committatur Magistratui, donec sc. de illarum Domino constare possit; Ita nec illi locorum mores videntur improbandi esse, qui certum isti custodiæ terminum perfigunt, quo elapso, si Dominus sui copiam non faciat Magistratui, resque sibi ablatas nec probet nec petat, fiscus ejusmodi res sibi tribuit, quod de jure Saxonico observat, ejusque dispositionem defendit laud. Dn. Ludovici *in Diss. de restit. rei furtiv. c. 1.* §. *25. 26.* quo sc. jure post *annum* demum *& diem* fisco res addicuntur, qui idem terminus in jure patrio *d. art. 35.* Dominis ad repetendas ex fisci custodia res suas præfigitur, quem si præterlabi passi fuerint, duæ tertiæ fisco, reliqua verò tertia pars illi, qui a fure rem iterum ablatam judicio obtulit, vindicantur, ita quidem, ut etiam pretium ex rebus consumptibilibus redactum rei succedat loco & pro eadem portione inter fiscum & delatorem illum dividatur.

§. VIII.

Sed hæc quasi in transitu exempli loco adduxi, ut saltim constaret lectori, si similia forsan alia exempla adhuc reperirentur, in quibus fisci commoda neglecta esse appareret, me in iis præcipuè versari, quæ cum aliqua simul injuria conjuncta esse visa sunt, tantumque abesse, ut fisco nimium blandiri velim,

lim, ut potius nec detrahere illi, nec nimium tribuere, sicque media quasi via incedere mihi proposuerim. Quod uti sub finem capitis primi jam indicatum a me esse memini, ita prolixè recoquere nunc supersedeo. Pedem potius moveo ad alteram & posteriorem hujus capitis partem; propero sc. ad neglecta fisci commoda, quæ OB ALIAM CAUSAM ipsi debebantur, QUAM OB POENAM illorum, ex quorum bonis sibi acquirere eadem poterat. Atque hic quidem ordo me primum ducit ad BONA VACANTIA, quæ in sensu strictiori & specialiori hic definio, *talia esse quæ omni hærede destituta sunt*, *vid. L. 1. pr. L. 4. C. de bon. vac.* ibique Brunnemann. Peregrinus *L. 4. t. 3. §. 2.* Quo ipso a *bonis caducis* differunt, utpote quæ quidem hæredem habent, sed in ejus persona effectum nanciscì non poterant. Conf. hic omnino Stryk. *de Succeff. ab intest. Diff. 5. c. 1. §. 22. seq. ibiq; alleg.* Hic quidem illa statim controversia moveri solet, quonam jure hæc bona fiscus accipiat, *jure regalium an hæredis titulo.* vid. Faust ab Aschaffenburg *in Consiliis pro ærario cl. 8. cons. 17. p. 346.* B. Harpp. *Consil. Tubing. 71. n. 157. seq.* Mev. *p. 3. Decis. 101. n. 5.* Lauterb. *de transmissione hæreditatis th. 17. p. 20. seq. & in Diff. de Transit. action. th. 18.* ubi latè probare satagit, bona vacantia *regalium jure* fisco deberi, ibique etiam contra Riemerum *decade 8. qu. ult.* contrarium sentientem disputat *Add. idem in D. de jure fisci l. 2. §. 16. & in Coll. Th. pr. de succeff. Jur. noviff. §. 57.* Hertius *de superioritate Territor. §. 52.* Peregrinus *de jure fisci c. l. n. 12.* ubi pariter successionem fisci in bonis vacantibus *non sapere jus hæreditarium* dicit. Conf. etiam Bachov. *ad Treutl. V. 2. D. 16. th. 1. lit. F.* Richter *de Succeff. Sect. 5. n. 3.* Stryk. *c. l. § 46.* qui omnium maxime urget, quoad bona vacantia fiscum hæredem legitimum esse, neque id obstare dicit, quod juribus regalium adscripta sint bona vacantia. *2. F. 56.* quia propterea ad illa videntur relata esse, ut *civitates municipales* eo citius hoc jure abstinerent, *conf. hic. quæ c. 1. §. 5.* dixi, imò manere nihilominus hoc jus regale, licet fiscus hæres fiat. Quicquid verò hujus sit, id tamen nemo negabit, quoad effectum hæredis loco haberi fiscum vid. Lauterb. *all. loc.* hincque si rem penitius intueamur, nihil ferè interest, sive fiscus pro vero hærede s. hæredis loco saltem habeatur judice B. Harppr. *d. Conf. 71. n. 155. seqq.* addatur idem *n. 182. seqq.* quia id nihilominus incommodi semper habet fiscus, quod bona ista non aliter quam cum onere æris alieni ad ipsum transeant, quamquam saltem pro viribus hæreditariis *per l. 1. §. 1. de jur. fisci*, quam in rem largum Doctorum idem secum sentientium adducit numerum Stryk. *d. D. 5. c. 2. §. 52.* add. Harppr. *d. Conf. n. 164. seqq.* Lauterb. *de transit. act. t. 18. p. 21.* an vero ad *legata* etiam exsolvenda teneatur fiscus, videatur Stryk. *d. l. §. 51.* ubi in *affirmativam* tandem transit, & fiscum etiam ad *inventarium* conficiendum teneri contendit *§. 53.*

quam-

quamquam quoad posterius contraria, quod credam, sententia, magis se probaverit hactenus, indeque etiam a plurimis Dd. defensa sit, quos inter etiam sunt Peregrin. *d. l.* §. 25. Sixtin. *de regal. l. 2. c. 9. n. 46. seqq.* Mev. *ad jus Lubecens. p. 2. t. 2. art. 14. n. 85.* & quod hæc quoque communis DD. sit opinio testatur Grassus *recept. sentent. §. hæreditas qu. 5. n. 3.* sicut secum consentientem aliquem vix se habere ipse Strykius fatetur, nuper tamen talem nactus Scharffium *sc.* qui *in d. Diss. §. 5. p. 48.* eandem conficiendi inventarii necessitatem fisco imposuit, nisi ultra vires hæreditarias obligare se velit, quorum tamen argumenta eo ferè unicè diriguntur, quod fiscum tanquam hæredem in bonis vacantibus succedere, sicque perinde ut alios hæredes ad inventarium obligari existiment, quæ tamen sententia, uti per ea, quæ jam adduxi, satis controversa adhuc sit, ita, qui illam amplecti detrectant, argumentum etiam inde deductum non statim suis approbabunt calculis, præcipuè ubi etiam quoad alia momenta inter fiscum & privatum haud parum discriminis hîc intercedere, observat Sixtin. *d. l. §. 48.* Hinque etiam Fiscum *Falcidia* quidem privari posse, si nimirum tanquam hæres institutus succedat, & inventarium non conficiat, minimè vero, si ex delicto alterius, vel bona capiat tanquam vacantia, affirmat Lauterb. *tit. ad L. Falcid. §. 22.* add. Harpprecht. *de Cons. 71. n. 192. seqq.* his tamen omnibus non obstantibus HAMBURGENSEM Fiscum ad inventarium conficiendum in quacunque hæreditate, ubi legitimi non adsunt hæredes, semet obstrinxisse, haud obscurè forsan conjicere licebit, si à bonis ad extraneos devolutis, & detractioni decimæ partis obnoxiis ad bona Vacantia argumentum ducatur. Ita enim verba habent in der Zehen-Pfennings-Ordnung, *art. 2.* alle und jede Erbschafften, dazu sich keine ehliche Leibes-Erben befinden, und auf frembde verfallen, sollen durch den Zehen-Pfennings Knecht, ohngeachtet daß der Verstorbenen Testamenta vorgeschüttet worden, versiegelt, auch wann zuforderst das Testament edirt, und die Sache darnach beschaffen, soll solche Erbschafft Amts halben inventirt und darüber 2. gleichlautende Inventaria verfertiget, davon das eine in die Zehen-Pfennings-Lade denen abwesenden Erben zu künfftiger Nachrichtung beygeleget, das andere aber den interessirenden Erben, so bald sie sich angeben, ausgefolget werden soll. Quæ verò de *edictali citatione* a fisco facienda & alia hic superessent discutienda, prætermitti facile possunt silentio, quia non tantus Doctorum dissensus ibi sese offert, ab iisdemque etiam diligenter, quæ huc amplius pertinent, evoluta sint.

§. IX.

Transeo hinc ad alia incommoda, quæ bonorum vacantium occupationem, a fisco faciendam, nostris maximè moribus rarissimam reddiderunt.

Scilicet quantuluscunque etiam adhuc favor Fisci fuerit, cum inter illos, qui SANGUINIS JURE in capiendis hæreditatibus Fiscum antecedebant, *agnati* saltem ad *Decimum*. *Cognati* verò ad *6tum gradum* admitterentur, §. *ult. I. de succ. Cognatorum*, in maximum tamen Fisci sui detrimentum *omnes a latere cognatos* ad successionem præ fisco vocat Imp. JUSTINIANUS *in Novella 118. c. 3.* unde *in infinitum* fiscum excludi, modo ullus supersit, qui vel remotissimo gradu defuncto conjunctum se esse probare possit, (de qua probatione conf. Stryk. *d. Diss. 5. § 24. D. 7. §. 35. & 36.* & Peregr. *L. 4. t. 3. num. 3.* Wesemb. *Cons. 13. num. 45.* Harpprecht. *respons. 60. num. 563. seq. Id. Resp. 96. num. 91.* Carpzov. *Jur. Prud. for. P. 3. const. 18. Def. 29. ibiq.* Goswin ab Esbach. Mev. *ad Jus Lubecens. P. 2. t. 2. art. 32.* addatur Menoch. *P. 2. præsumt. 51. n. 3.*) non modo de *juris Theoret. veritate*, quod post Bocerum *de regalibus c. 3. n. 30.* Barty *de Success. L. 18. t. 3.* Forster. *de Success. L. 3. c. 10. num. 1.* Struv. *exerc. 38. th. 36. ibiq.* Müller, contra dissentientes, qui vel veteri illi dispositioni standum putant hodie, vel in genere *Successioni Collaterali decimum gradum* præfigunt, adstruxit Stryk. *de S. A. J. diss. 1. c. 1. §. 29. & Diss. 5. c. 1. §. 24.* quorsum etiam inclinant Hertius *de Jurispr. Civil. Sect. 2. §. 14. in f.* Harpprecht *ad pr. J. de hæred. quæ ab intest. n. 472. seqq.* Lauterb. *in Coll. d. success. jur. noviss. §. 37. & de jure fisci §. 15.* sed etiam de *praxi* obtinere, cum Hahnio ad Wesemb. *ad tit. unde legitimi n. 3.* Gudelino *de Jur. noviss. L. 2. c. 15.* aliisque testatur Lauterb. *d. l.* a quo etiam non dissentire Magnif. Dn. Schwederum memini, cum in privatis ad *jus publ.* lectionibus ad *partis Spec sect. 2. c. 15. §. 11.* successionem collateralium *in infinitum* defenderet; in quibusdam tamen locis ex suppositione erronei principii eandem decimo gradu circumscribi notat Lauterb. *d. l.* quod etiam *de jur. Wurtemberg. Colonienſi, Saxonico, Marchico-Brandenburg. & Marchico-Badensi* expresse comprobatum docet B. Harpprecht in *differentiis Jur. Civil. & Marchico-Badensis §. 6. p. 134.* qui ideo de juris quidem veritate Successionem Collateralium in infinitum concedit, de praxi verò decimum tantum gradum tam inter agnatos, quam cognatos, fiscum putat antevertere, quam in rem plures etiam illi allegantur non minoris auctoritatis Jure Consulti Carpz. *J. pr. For. p. 3. Const. 18. def. 31.* Richterus *de Succ. ab intest. sect. 3. m. 4. n. 30.* ut alios taceam, qui de singulis quibusdam locis id asseverant, quod de jure LUBECENSI etiam, tanquam ex *jure communi interpretationem recipiente*, affirmat Mevius: *P. 2. t. 1. art. 1. n. 57.* add. idem *P. 2. art. 12. & 14.* cujus tamen allatum ab interpretatione argumentum pro contrario potius concludere videtur, inde, quod de *Juris veritate* successionem *in infinitum* satis fundatam esse, cordatiores JCti, quorum præcipuos jam memoravi, agnoscant. Quare etiam advocatum Fisci HAMBURGENSIS inanem hic navatu-

navaturum fore, existente tali casu, operam crediderim, cum successio ad decimum gradum nullibi in Statutis nostris restricta inveniatur, hincque remotioribus ex clausula in fine Statutorum adjecta, ibi: Da auch künfftiger Zeit in dieser guten Stadt sich Fälle zutragen würden, welche in diesem vorgesatzten Stadt-Rechte nicht specificirt, oder davon disponirt und Verordnung gethan: so sollen dieselben nach gemeinen beschriebenen Kayserlichen Rechten und denen im H. Römischen Reich publicirten Constitutionen erörtert werden, &c.) fundata maneat intentio. Idem sentiendum erit de similibus statutis & juribus, ex. gr. PRUTENICO *L. 5. art. 3. §. ult.* vid. Müller *ad Struv. d. Exerc. 38. §. 36. l. d.* Et quamquam in ista præterea Doctorum discordia vix certi quid affirmare ausim de generali Germaniæ praxi, cujus limina huc usque salutare vix datum fuit, nec id tamen prætermittendum esse puto, quod quæcunque etiam sententia in plurimis locis obtineat, fiscus certe, cujus inter præcipuos reditus hæreditates ab intest. olim fuisse commonstrat Celeber. Dn. Ludewig *in Germania Principe L. 1. c. 5. §. 3. lit. n. p. 411.* ex eoque Excell. Dn. D. Mögling, Fautor meus ætatem devenerandus *in differentiis jur. Civ. & Statutar. Suevo-Halensis circa materiam emphyteuseos in salinis & successionis conjugum c. 2. p. 30.* non habeat hodie, cur multum de bonis vacantibus ad regalia sua relatis sibi gratuletur; siquidem s. decimi tantum gradus Collaterales, s. iidem in infinitum ipsum excludant, rarò certè talis casus accidit, cum ipsa natura inter homines in universum cognationem quandam constituerit *L. 3. ff. d. J. & J.* nemoque hinc facile sine collateralibus decedat, nec illos, nisi decimo gradu proximiores, relinquat. Müller *ad Struv. d. l. lit. g.* deinde & hoc observandum hic veniet, in BONIS FEUDALIBUS successionem agnatorum ad *quartum* & *septimum* tantum gradum olim restrictam, *I. F. 8. §. Hoc quoque* add. Eyben. *in Select. Feud. p. 189. in infinitum* postea extensam esse per Textum *I. F. 1. §. 4. 2. Feud. 31.* Ne sc. Feudum domo exeat, & ad *Dominum* revertatur, vel *Fiscum*, prout nempe Fiscus a Domino directo diversus est vel non. Stryk. *d. Diss. 5. c. 2. §. 1.* ita ut priori sc. casu Fiscus planè nihil possit capere Stryk. *d. l.* posteriori verò tunc demum, ubi nullus plane agnatus supersit. add. hic Carpz. *disp. F. 5. th. 40.* Rosenth. *c. 7. concl. 56. num. 8. & Concl. 59. num. 16. in f.* Stryk. *exam. I. F. c. 16. qu. 19.* ibique Beust. *in Comment.* ita tamen, ut quæ ibi disserit, non tam ipsius, quam Celeb. Schwederi nostri, utpote cujus pleraque, ab alio ore excepta, plagio deinde literario sua fecit, & perverse sæpius, ipsius contra mentem expressit, notas esse scias. De CAMERÆ IMPERII quoad hoc punctum praxi, vi cujus eadem collateralium in infinitum successio obtinet, modò Feudum semel ad descendentes, & ab his ad Collaterales pervenerit, nec tantum a primo acquirente statim ex pacto ad

collaterales transierit, quo scil. ultimo casu in septimo tantum gradu succedere illos ait Gail. *L. 2. obs. 150.* & qui demum alii tam a Stryk. quam dicto ejus Commentatore laudantur, inter quos ipsum Magnif. Schwederum propterea hic repeto, quod ille *in Diss. de jure agnat. in Feudis th. 29. & 30.* non modo distinctionem illam omni carere fundamento probat; Conf. hic etiam Stryk. *de Succ. ab intest. diss. 4. c. 2. §. 14.* sed in regnis etiam, Electoratibus & Principatibus, successionem illam ultra decimum gradum receptam esse, cui eo minus refragandum esse arbitror, quo Illustrioribus exemplis sententiam firmavit.

§. X.

Neque verò in eo solum quoad bona vacantia fisci commoda negligi arbitror, quod SANGUINIS, tot cognati, remotissimi licet, IURE fiscum excludant. Ignotum enim nemini esse poterit, majus ferè ad huc præjudicium fisco enatum esse, postquam IURIS TITULO tot sibi personæ hæreditates, ad fiscum cæteroquin perventuras, asseruerint. Agmen inter has ducunt conjuges. Sicuti enim COGNATIS ex cap. *unde cognati*, ita & post hos UXORIBUS & VIRIS successionis primam spem fecit prætorum æquitas *bonorum* ipsis *Possessionem* indulgentium *t. t. tit. ff. & Cod. unde cognati & t. t. unde Vir & uxor.* quo prætoris beneficio illos adhuc hodie opus habere & sic etiam præscriptum *centum dierum* terminum, a die scientiæ computandum, illis observari debere statuit Stryk. *d. Diss. 4. c. 1. §. 3. 4. 7.* quòd tamen ita exaudiendum forsan videtur, nisi pacta dotalia adsint inter conjuges, vel statuto certus modus fuerit introductus, Vid. Bardili *de Successione Conjugum thesi 23.* Frommann. *in diss. Heredit. & Bon. Poss. th. ult.* Beier *ad J. t. de Bon. Poss. num. 21.* de quâ *Conjugum Successione Statutaria* vid. e multis Stryk. *d. D. 4. c. 3. per tot.* Lauterb. *Coll. Th. Pr. de Success. Juris Noviss. §. 49. seqq.* Mevius *ad Jus Lubecense P. 2. t. 2. a. 12. num. 12.* & speciatim de conjugum Successione SUEVO-HALENSI Excell. Dn. D. Mögling. *d. l. c. 2. §. 2. seqq.* LUBECENSI Mev. *d. l.* HAMBURGENSI Stat. Hamb. *P. 3. t. 3. a. 4. 6. & 8.* De requisitis verò ad successionem Prætoriam, ut sc. illa possit procedere, necessariis vid. Stryk. *d. l. §. 6. seqq.* Lauterb. *d. l. §. 42. & 43.* ubi etiam quando ab hac successione conjuges excludantur, additur. An verò etiam SPONSIS hæc B. P. deferatur vid. Stryk. *§. 8.* Lauterb. *§. 45.* ubi affirmative hanc qu. decidunt, prior de jure etiam civili uxorem & sponsam de præsenti nihil differre putans *ob l. 30. ff. de R. I.* posterior de stricto jure dissentiens, sed de æquitate, & ad excludendum fiscum, sponsam admittens vid. Riemer *Dec. 3. qu. 8.* Scharff. *c. 4. § 3.* Sicuti verò hæc conjugum Successio Prætoria cognatis demum & agnatis deficientibus obtinuit, ita nec in horum præjudicium novi quid statuere aut istam successionem in conjugum favorem extendere voluisse videtur IMP. JUSTINIANUS, quippe qui con-

juges

juges saltim *fisco* præferendos esse voluit *arg.* §. 4. *J. de Bonor. Poss.* nisi quod in *Nov. 53. c. 6. Nov. 117. c. 5.* & *Auth. Præterea C. unde Vir. & uxor* novum hoc conjugibus beneficium indulserit, quod, existentibus licet liberis, tamen in certa portione ad successionem vocarentur. De qua & requisitis illuc spectantibus non est, quod fusè hic agam. Latè hæc excussere omnia Stryk. *d. l.* §. *17. seqq.* Lauterb. *d. l.* §. *46. seq.* & Dn. D. Mœgling. *d. D. c. 1.* §. *2.* Ecquis vero hic non videt, fisci maximè sui commodis insigniter detraxisse Principes per Successionem istam, siquidem ubivis ferè terrarum receptam, si excipias MARCHIAM BRANDENBURGICAM, cujus Serenissimus Nomotheta, mediam quasi ingressurus viam, conjugi, nullis existentibus collateralibus, superstiti, non hæreditatem defuncti in solidum ex beneficio Prætoris *t. t. ff. unde vir & uxor* ipsi indultam adjudicari, sed portionem tantum *statutariam* ſ. *dimidiam bonorum communium* illi tribui velit, alteram vero dimidiam a fisco percipiendam esse. vid. *Const. March. Joach. I. Elect. sub tit.* von Erb-Fällen unter Eheleuthen. Stryk. *d. tr. D. 5. c. 3.* §. *10.* & *D. 4. c. 3.* §. *19.* cui forsan addideris consuetudinem AUSTRIACAM, quæ anno 1674. viguit, modo interim correcta non sit, quam ita insolenter fisco adhuc favere refert Weingarten *Fascic. Divers. Jur. Lib. 1. p. 3. f. 65.* ex eoque Dn. D. Mœgling. *d. D. c. 2.* §. *5.* ut ascendentes etiam post liberos ab intestato non succedant, sed aliis deficientibus hæredibus a fisco excludantur. Post *Conjuges* venio. 2.) ad LIBERALITATIS IMP. SOCIOS, quorum altero sine hærede decedente statuit *Imp. Constantinus*, quod ad consortem potius solatium quam ad aliam personam extraneam perveniat. *l. un. C. si liberal. Imp. Socius sine hærede decess.* ubi tamen id monendum, a socio tali fiscum non aliter excludi, quam in re donata, siquidem tantum successor partialis est. Peregrin. *de Jure fisci L. 4. t. 3. n. 8.* Brunnemann. *ad l. un. C. de cad. toll.* Stryk. *d. tr. D. 5.* §. *31.* add. Mollenbeccius *in D. de liberalit. Imp. Socio per tot.* Carpzov. *decis. Illustr. P. 2. dec. 134.* Tertio fisco præfertur CERTUM COLLEGIUM, in quo defunctus fuit vid. Stryk. §. *32. seqq.* ubi non modo, quæ in specie collegia Jus Civile præferre voluit fisco, recenset, sed in sequentibus etiam hoc neutiquam ad omnia alia collegia extendi posse docet. 4.) ECCLESIA IN BONIS CLERICI defuncti fiscum antevertit *l. si quis presbyter. 20. C. de Episc. & Cler.* Stryk. *d. l.* §. 39. quod ACADEMIAS quidam extendunt in casu, si STUDIOSUS *l.* DOCTOR *l.* PROFESSOR sine alio hærede decedat. Idem *d. l.* Richter *ad Auth. Habita Disp. 7. num. 2.* An etiam HOSPITALE suo alumno in casu simili succedat. vid. Fritsch. *de jure hospitalii c. 7. in f.* Kress. *in Specim. Jur. for. t. 20. in f.* qui hoc *aff.* quia hospitale Jure Ecclesiæ gaudeat. Contrarium statuit Besold. *in delibatis ff. ex lib. 37. & 38. qu. 11.* Voet. *tit. ad SCt. Tertull.* §. *15.* ob *legem 10. Comm. de succ.* Verum alia ratio nutri-

toris in genere talis videtur de quo in *d. l. 10.* alia hospitalis cum Ecclesia pari jure gaudentis. Nec m. facultas dispnendi alia collegia excludit, quia successio in iisdem tantum in casu intestati defertur. 5) PAPRONUS IN BONIS LIBERII §. 3. *J. de succ. libert.* quæ tamen successio hodie parum utilitatis habet Stryk. §. 40. Non tamen 6) TUTOR IN BONIS PUPILLI, sine hærede decedentis, fisco præferendus videtur, per tradita *ejusd.* §. 41. quem etiam de cæteris circa bona vacantia, observandis, quæ non adeò ad nostram tractationem spectant, præ cæteris evolvendum duxerim. Id paucis saltim adhuc coronidis loco hic subjungam. quod verior mihi videatur eorum sententia, qui de Juris veritate fiscum per PRÆSCRIPTIONEM QUADRIENNALEM a bonis vacantibus excludi volunt, sine distinctione, *an nunciata fuerint fisco nec ne*, tum ob generalitatem Textus *l. 1. C. de quadrienn. præscript.* tum quod ipsa denunciatio tot annis expiret. *l. 1. §. 2. ff. de jure fisci & l. 10. §. 1. ff. de diverf. & tempor. præscript.* Latè Stryk. *d. l. §. 56. & 57.* quamquam & in hoc multum incommodi fiscalis situm esse sat appareat.

§. XI.

Neque quoad RES PRO DERELICTO HABITAS, quas quidam sub nomine bonorum vacantium etiam venire putant, quibus respondet Peregrin. *L. 4. t. 3. §. 29.* fisci commodis magis hodiè quam olim prospectum est. Quicquid enim dicat Perezius *ad tit. cod. de bonis vacantibus*, qui scil. tit. pro derelicto moribus cessare ex Zypræi *notitia Juris belgici* notat, & Besoldus, qui omnes hodie res sive mobiles sint, sive immobiles ad fiscum spectare dicit, si a nullo possidentur *in Diss. de Regal. n. 4. ad calcem thesauri practici.* Vid. Stryk. *in U. M. t. pro derelict. §. 1.* tamen, si vel maximè de rebus *immobilibus*, quoad ex. gr. *loca deserta* & *inculta* id asserueris, quo faciunt, quæ præter Peregrin. *c. l.* habet Stryk. *d. l.* ubi integrum *Oetingeri* locum hanc in rem repetit, quoad bona tamen *mobilia* aliter res se habet; hæc enim non fisco, sed cuilibet occupanti plerisque in locis cedunt, Peregrin. *c. l. n. 29.* quod præjudicio etiam firmat, Carpzov. *P. 3. Const. 31. def. 17.* & Philippi *Usu pract. J. de R. D. eclog. 20.* Stryk. *d. l.*

§. XII.

Constitueram hic etiam quædam addere DE BONIS NAUFRAGORUM, præcipuè ubi Illustrem Thomas. *in Dissertat. de Regalib. fisci c. 2. §. 8. p. 50.* in eam ire sententiam vidissem, quod bona naufragorum ad Regalia fisci optimo credat pertinere jure, sive bona spectes, de quorum pristinis Dominis constet, sive illa, quorum ignorentur. Verum cum contraria sententia, tanquam jure Gentium etiam fundata, prolixe jam defensitata fuerit, ut alios omittam, a B. Joh. Schele, Hamb. Viro JCtissimo & post fata devenerando in Dissert. Inaug.

aug. Argentorati 1674. habita & *de jure naufragii colligendi* inscripta, ibique etiam, quomodò hic ex æquitate fisci sui commoda Patrii legislatores posthabuerint, prolixè ostenderit, limitationibus saltim quibusdam additis Vid. §. 11. ad illum ablegare malo Cives maximè nostros, quam multa pro fisco hic disputare, cujus interesse quin melius negligatur, quam impiis & irrationalibus consuetudinibus promoveatur, nemo erit qui dubitaverit, qui IMPER. JUSTINIANI gravissimam interrogationem haud planè vilipenderit quam *in l. 1. cod. de naufrag.* hisce verbis profert, *quod Jus habet Fiscus in aliena calamitate, ut de re tam luctuosa compendium sectetur?* quique præter *Auth. Frider. navigia cod. de furtis* & admonitionem *Caroli V. in Ord. Crim. art. 218.* tales consuetudines irrationabiles pronunciantis & abolendas jubentis Vid. Gail. *L. 1. obs. 18.* Lauterb. *Diss. d. jure fisci c. 3. §. 19.* Conf. etiam *Statuta Hamb. P. 2. tit. 17. art. 4. & art. 31. Recess. Hamburgensium*, qui inquam præter hæc omnia *mandata sine clausula* contra illos, qui istiusmodi bona naufragorum inique sibi vindicant, in *Camera Imperii* decerni solita, quale pro SENATU HAMB. contra DUCES HOLSATIÆ impetratum refert. Gail. *d. l.* sanæ judicii trutinæ subjicit. Quamobrem spicilegii tantùm loco repetam, quæ in majus naufragia passorum solatium recenti Constitutione ordinarunt, qui gubernacula Reipublicæ Patriæ felicibus nunc auspiciis tenent. Hæc scilicet verba intelligo, quæ leguntur in der Rolle welche von E. E. Rath der Stadt Hamburg dem jetzigen Vogt auff dem neuen Werck (cui id scilicet maxime officii demandatum, ut de servandis rebus istis curam adhibeat) strictè zu observiren anbefohlen worden, d. Ao. scil. 1719. d. 1. Februari, ubi contra illos, qui res istas a se servatas detinuerint art. 1. rigorosè hunc in modum animadvertitur, ibi: Sollte sich einer oder der andere gelüsten lassen, etwas von solchen geborgenen Güthern an sich zu halten, zu verhehlen, oder gar weg zu practiciren, soll der jenige, so es gethan, für einen Dieb gehalten, und für jedes Stück mit 100. Reichsthaler Straffe, oder, und wo er die nicht hat, mit Wasser und Brod auf 6. Wochen im Gefängnuß ernähret werden, falls auch ein solcher ertappter Bösewicht zum andern mahl über ein solches Bubenstuck betroffen würde, soll er 200. Reichsthaler Straffe bezahlen, oder 12. Wochen lang auf Wasser und Brod gefangen gesetzet, zum dritten mahl aber auf summarische Erkandtnuß, mit Ruthen gestrichen und des Landes verwiesen, oder gar nach Befinden, gehencket werden. Addatur art 8. ubi de iisdem rebus Domino restituendis ita decretum legitur: Denen Eigenthümern oder Gevolmächtigten werden solche Güther, auch falls es verlangt wird, das Eysen, Holtz, Masten, Tauen, Anckern von den Wracken nechst erlegtem unten zu berahmenden Bergegelde und sonstigen redlichen Kösten, wieder ausgelieffert und da-

zu

zu benöthigten Falls die hülffliche Hand durch den Herrn Ambtmann zu Ritzebüttel gebotten. Qui tamen si intra annum & diem amissas res suas, vel ex consumtibilibus publicè venditis redactum pretium non repetierit, tunc demum fisco adjudicantur *d. art. 8.* ibi *in f.* und das gelösete Geldt Jahr und Tage, falß sich kein eigener meldet, aufheben nach Verfliessung solcher Zeit aber E. E. Rath zum besten der Stadt Cämmerey einsenden. Qui idem terminus in *art. 31.* Recessum præfixus est, ad mores aliorum locorum, qui pariter legibus suis maritimis facultatem Domini in rebus naufragis vindicandis certo tempore circumscripserunt, post quod Dominus res suas dereliquisse videtur, Vid. *alleg. D.* B. Dn. Schele §. 15.

§. XIII.

Superest ut ad titulum DE HIS, QUÆ UT INDIGNIS AUFERUNTUR nunc transgrediar, quo in toto jure nostro nullum magis emolumenti fisco afferre posse arbitror, si singuli, qui ibi enarrari solent, casus, fisco adhuc hodienum hæreditatem vel totam, vel ejus partem, in quantum sc. ad indignum pervenit, vindicarent. Verum, ut illud taceam, quod non desint, qui omne planè commodum ex hoc titulo fisco auferunt, siquidem omnia, quæ de jure nostro Civili inde sibi acquirit, cum abrogato titulo de his, quæ ut indignis, ipsi ablata esse statuant *Christinæus*, *Faber*, alii, qui tamen assertioni suæ fidem propterea conciliare mihi haud potuerunt, quod noviora præjudicia, a Klockio *V. 2. cons. 46. n. 11. 15. V. 4. cons. 53. seqq.* & Mevio *P. 5. decis.* 13. contrarium doceant, indeque de regula Juri Civili standum esse, post alios a se largiter adductos consulant ill. Dn. Bar. a Lyncker *in diss. de bon. ereptititiis* §. 9. Stryk. *U. M. ad tit. de his qu. ut indignis* §. 1. ubi & contra Carpzov. *P. 3. Prax. Crim. qu. 135. num. 27.* qui per *auth. Bona damnat. C. de bon. proscript.* omnem bonorum publicationem extra crimen læsæ Majestatis e foro sublatam contendit, fusè disputant, quibus quoque accedere non dubito, cum supra jam meminerim, neque hanc *Auth.* neque *Ord. Carol. a.* 218. ad ea pertinere, quæ fiscus indignis & similibus aufert, sed de sola successione ad mortem damnatorum disponere; ut inquam de generali, qualem isti fingunt, hujus tituli abrogatione, nihil dicam, maximè ubi eleganter Stryk. *d. l.* moneat, *non inde quod interdum Jura fiscalia negligantur, eorum statim abrogationem inferendam, præsertim, cum hodie in totum neglecta haud sint.* add. Auct. *ibi citt.* & ipse Strykius *de succ. ab intest. diss. 12. c. 1. & seqq.* quin tamen *in tantum*, & certis casibus indignis concessa fiscus non auferat & vel ab hæredibus cœteris interdum antevertatur, id uti longa serie deducit Sixtin. *de regal. l. 2. c. 10.* §. *97. seqq.* ita ex illis præstantiora exempla indicis saltem loco nunc depromam.

§. XIV.

§. XIV.

Primum exemplum esto in illo, *qui aliquem testari coegit*, quale *testamentum metu exortum* ipso quidem *jure* valere, sicut regulariter cætera negotia metu inita §. *3. J. de except. l. pen. Cod. de inutil. Stip. l. 85. ff. de acquir. vel omitt. hæred. l. 21. §. fin. ff. quod metus causa* & quæ de hoc argumento uberrimè exponit Magnif. Dn. Præses *in Collat. J. Civil. cum recess. Imp. Sect. 10. th. 1.* putant interpretes. Hincque hæredem ex testamento acquirere hæreditatem, sed eidem tanquam indigno, auferri docent, teste Menoch. *P. 2. arbitr. Jur. quæst. c. 395.* Bachov. ad Wesemb. *tit. ff. qui test. fac. poss.* Peregrin. *de Jure fisci L. 2. t. 6. num. 45.* ast, quod aliter res se habeat, inde liquet, quod testamentum ejusmodi, quod sponte quis non fecit, sed coactus, plane non subsistat, sicque defuncto ab intestato succedatur, judice Carpzov. *P. 3. const. 5. def. 16.* Add. Scharff. *c. 3. §. 7. p. 50.* & Illustr. Baro a Lyncker. *d. D. §. 30.* ubi & ad *obst. l. 1. pr. de Jure Fisci & l. 2. pr. si quis aliquem test. prohib.* respondet Add. Schilterus *exerc. 38. th. 181.* Stryk. *V. M. ad tit. si quis aliq. testar. prohib. §. 2.* Lauterb. *ad eund. tit. §. 8.* qui omnes etiam posteriorem sententiam moribus servari, & non fisco, sed hæredibus ab intest. bona illa adjudicari testantur, quorsum etiam maximè faciunt præjudicia a Carpzov. *c. l.* Brunnemann. *cent. 1. decis. 85.* allata; nisi tamen ipse compellens hæres ab intest. sit, Stryk. *de succ. ab intest. diss. 12. c. 2. §. 21.* Alia verò cum ratio sit *si quis aliquem testari prohibuerit*, quem pro indigno declarat textus *in l. 1. ff. si quis aliq. test. prohib.* idem adhuc hodie juris esse, negari vix poterit, quod olim, ubi a tali indigno hæreditas auferri solebat, quare etiam Schilterus *dicta exerc. 38. §. 182.* regulam & jus pro fisco esse hodieque & exceptionem ab hæredibus esse probandam dicit, add. hic omnino Illustr. Dn. Baro a Lyncker *d. diss. §. 30.* & *Consulentes* apud Stryk. *V. M. d. l. §. 1.* & Faust ab Aschaffenb. *cl. 9. cons. 6. p. 371 seqq.*

§. XV.

Deinde *pœnam ablationis bonorum ob inultam necem defuncti*, quæ Jure Rom. fisco applicata fuit *l. 17. de his qu. ut indig. l. 1. l. 6. l. 9. C. eod. l. 9. l. 15. ff. de jur. fisc.* de consuetudine non servari, sed prorsus ab aula recessisse, observat ipse Peregrin. *L. 2. t. 5. in fin.* qui varias etiam limitationes ex ipso Jure Rom. diligenter annotat, quod etiam facit Illustr. Dn. Lyncker *d. Diss. §. 21.* qui licet pœnam privationis bonorum contra hæredes hodie non plane exulare contentat sequenti §. *12.* nec id tamen diffitetur, confiscationem bonorum ex capite indignitatis cessare favore legitimorum successorum, indequehac nectit conclusionem, quod si ipsi hi essent illi negligentes, uti ut plurimum esse solent, pœna privationis bonorum adhuc locum habeat, quâ in re consentientem

etiam habere videtur Schilterum *exerc. 38. th. 179.* Add. id *exerc. 50. th. 2.* siquidem ille fiscum semper jus suum retinere asserat. Quidquid verò hujus sit rarò admodum hodie ex hac privatione fisci commodis studeri inde videtur colligi posse, quod hodie remissa sit ut plurimum privata ista vindicatio & accusatio, sufficiatque, si denuncietur magistratui, eidemque publica necis istius ultio relinquatur Vid. *Ord. Carol. art.* 214. quem ideo hic etiam maxime urget Scharff. *d. diss.* §. *9. p. 53. seqq.* ubi non modo præjudicio LIPSIENSI contra fiscum hic pronunciatum fuisse, ex Carpzovio refert, sed unanimibus fere Dd. interque hos laud. Carpzovii, Schilteri, de quo tamen non ita plane asseri id posse concludet qui allegata modo ejusdem loca conferet, *Hahnii*, *Sandii*, *Julii Clari*, *Nicolai Reusneri*, *Brunnemanni*, *Mevii* (quanquam hic ipse *P. 5. decis. 300.* non omnes advocati fisci partes hic excludat) *Matthæi Huberi* & *Struvii* calculis abrogatam hanc privationem evinci statuit.

§. XVI.

Neque *tertio* quoad illam quæstionem: *An si conjux conjugem occiderit, pro indigno haberi debeat occidens & fisco hæreditas deferatur?* ita planè fisci commodis studetur, uti *Bocerus* & alii putant, qui indistinctè fisci causam agunt, quin imò, quod lucrum ex *pactis dotalibus* competens proximis hæredibus debeatur, fisco excluso, & sic pro incapaci habeatur occidens ex *l. 10.* §. *1. ff. sol. matrimon.* satis evinci posse videtur, quare communis ferè etiam hodiè Doctorum hæc est sententia, quod fisco demum lucrum legale s. statutarium tribuatur. Vid. quos præter Strykium *D. 5. c. 7.* §. *27.* ubi prolixe hoc argumentum explicat, in utramque partem hic citavit Scharffius §. *8. p. 52.* & junge iisdem Faust ab Aschaffenb. *cl. 9. cons. 3. p. 367. a.*) Lynckerum *d. D.* §. *20.* cui tamen non potest non singulare illud videri, quod in marito uxorem & hac maritum occidente, marito dos, quam de jure lucrari poterat, mortuâ uxore ablata hæredibus mariti competat *d. l. 10. sol. matrim.* Adde denique, quod præter *Mylerum*, *Everhardum*, *Bullæum Heidemannum*, aliosque, quos indistinctè pro hæredibus occisi hic respondentes adducit Scharffius, eodem modo judicatum esse referat Annæus Robertus *rerum Judicatarum L. 3. c. 7.*

§. XVII.

Succedat his IVto illa quæstio, similis certe & affinis modo ventilatæ, *an si filius occidat patrem vel frater fratrem extantibus aliis filiis vel fratribus occisi in bonis patris vel fratris interfecti pro portione ad occidentem spectante admittatur fiscus, an verò excludatur, & portio accrescat aliis filiis vel fratribus existentibus in eodem gradu cum interfectore personæ occisæ?* Movet hanc Lauterb. in *D. de jure fisci* §. *18.* cui etiam de Juris veritate pro fisco judicanti non video, quid opponi possit ob *l. 7.* §. *fin. de bon. damnat. l. 1. pr. si quis aliquem test. proh.* id

quod

quod prolixe etiam deduxit nec ab eodem hic omissus Heigius *P. 2. qu. 33. num. 3.* ubi in eandem sententiam descendisse refert Collegas suos WITTEBERGENSES Anno 1594. ita pronunciantes. Nec aliam sententiam esse judicaverim Illust. Lynckeri *d. l.* §. *20.* ad eundem sc. Heigium & Peregrin. *de J. F. l. 2. t. 3. n. 2.* & Menoch. *Arbitr. Jud. Qu. casu 356. v. secundus & casus*, provocantis, quamquam expresse illam non declaret. Quare etiam Mevius *P. 5. Dec. 152. not. 4.* fisci Advocatos officii sui hic monet; quin tamen contrarium in certis minimum locis hodie observetur & cohæredibus portio interficientis relinquatur, aut ad minimum non eodem semper favore fisci hic ferantur consulentes, quos ut plurimum brocardicum illud vulgare. *l. 10. de jure fisci, contra illum in dubiis quæstionibus pronunciandum esse*, inculcare videas, eo minus dubito, quod non modo in præcedenti proxime casu commoda fisci admodum limitari ostensum sit, a quo ad præsentem hunc illatio procedere multis videbitur; siquidem non tam lucrum legale videatur fraterna vel paterna hæreditas, quam sanguinis jure eodem cohæredibus, quam interficienti debita, jusque accrescendi in fisci sui detrimentum extendi sinat ipse Sacratissimus Imp. *in L. un. C. de cad. tollend.* §. *14.* add. ibid. Gothofredi sed etiam Scabini LIPSIENSES contra fiscum ita responderint apud Carpz. *Pr. Crim. P. 3. qu. 135. num. 4.* Hat M. H. seinen leiblichen Vatter ermordet und umgebracht, derowegen ihme auch die Todes-Straff zuerkandt, und an ihm gebührender massen exequirt worden. Ob nun wohl gedachter M. H. sich durch seine Verbrechung, innhalts der Sächsischen Rechte seines Antheils der vätterlichen Erbschafft, sich verlustig gemacht, so hat sich doch dannenhero (weil die confiscatio bonorum ausser dem Laster beleydigter Majestät heutigs Tags ferner nicht statt hat. De qua tamen ratione Vide quæ supra passim memoravi) der Fiscus selbiges Orts, sich nicht zu erfreuen, sondern es ist dasselbige euch als des Thäters Brüdern und Mit-Erben zugewachsen. V. R. W.

§. XVIII.

Et quamquam generaliter de regula omnis defuncti occisor indignum se reddat, ut eidem succedat, fiscusque hinc ab eo auferat *L. 7. §. 4. ff. de bon. damnat. l. 14. Cod. de fideicommiss.* licet etiam per negligentiam tantum causam mortis præbuerit *L. 3. ff. l. 10. Cod. de his qu. ut indignis L. 31. §. 11. de adil. edict. L. 91. de V. O.* Struv. *exerc. 34. th. 95. n. 1.* s. fuerint in culpa *lata* sive *levi*, Mantica *de conj. ult. vol. 12. tit. 5. n. 10.* vid. omnino Ill. Lyncker *d. diss.* §. *19. & 20.* & Faust ab Aschaffenb. *cl. 9 cons. 3 p. 366. seqq.* non modo tamen illa limitatio agnoscitur ut plurimum, quod liberi occisoris, si sc. ille ante vulneratum talem vita decesserit, successione fiscum excludant. Matthæi *de Crim. c. 19.* Vasquez. *de success. resol. L. 2. § 20. num. 12.* tunc enim, quia nunquam

quam occisori delata fuit hæreditas, & per consequens nec iterum ab illo auferri potest, liberis ejus tanquam sequentibus propterea aperitur successio, quia tunc lucrum manet apud illos, apud quos mansisset; si indignus ille non fuisset in mediò vid. Peregrin. *de Jure fisci l. 2. t. 2. num. 28.* Stryk. *de S. A. I. Diss. 12. §. 11.* sed altera etiam exceptio illa approbatur, si indignus talis incapax simul sit. Tunc enim magis incapacitatis causam tanquam fortiorem attendi, & Fisco excluso ulterioribus locum dari testatur Peregrinus *d. l. n. 27.* propterea, quod qui incapax simul est, fisci intentionem fundare non potest, quia ejusdem ablatio habitum capiendi præsupponit, add. Sixtin. *de regal. l. 2. c. 10. num. 120.* quo pertinet etiam casus, si occisor ex *lege municipali* factus fuerit incapax ex gr. *si testator filium suum hæredem instituat, & prohibeat bona alienari favore nepotum & ulterius ab isto filio descendentium* & contingat filium committere parricidium, quo sc. casu successionem non ad fiscum sed nepotes ex filio devolvi putat Baldus Peregrino *c. l. t. 3. n. 3.* etiam allegatus, qui tamen ipse plenius & maturius hanc decisionem considerandam esse monet, quod forsitan inde stare non possit, quia fiscus excludit vulgariter substitutum arg. eorum, quæ *præced. cap. n. 27.* tradiderat, quæ ejus licet non allegati verba integra repetiit Faust ab Aschaffenb. *d. l. p. 36. b.)* Sicuti verò Peregrinum hic errare inde liquet, quod generaliter instituto non adeunte excluso fisco substitutus admittatur, siquidem ipse Imper. *in l. un. §. 13. Cod. de cad. tollendis* post institutum & ab intestato successores demum ad ærarium suum devolvi velit hæreditatem non agnitam, ita novum hic præter opinionem invenio exemplum, quo fisci interesse negligatur. vid. Lauterb. *in D. de jure fisci d. c. 3. §. 18. in fin.* qui hanc rationem super addit, quod hæreditas in pœnam indigno auferatur, hic vero si admitteretur fiscus, indignus haud puniretur, quippe qui nunquam eam adiit nec adire voluit.

§. XIX.

Addam his denique omnibus, quod licet *uxor intra annum luctus nubens* inter indignas personas etiam recenseri soleat, siquidem illam omnibus a marito relictis exuat textus *in l. 1. & 2. C. de sec. nupt.* ob incertitudinem maximè uteri & sanguinis confusionem, & quia manes prioris mariti mœrore sic viderentur affici. *Nov. 22. & Nov. 39.* nihilominus tamen propterea in locum ejus non succedat fiscus, sed hæredes alii, cujus ipsi Imperatores *in d. l. 1.* hanc reddunt rationem, *ne in his, quibus correctionem morum induxerint, fisci viderentur habere rationem.* Quare tanto minus indè commodi vel proventus aliquid hodienum sperare sibi poterit fiscus, quo proniores præterea indulgentioresque in concedendis dispensationibus talibus viduis esse solent: Conf. omnino Lyncker *d. D. §. 23.* add. Faust. *d. l. cl. 9. cons. 25. p. 407.*

§. XX.

§. XX.

Et sic tandem non hujus modo argumenti sed totius etiam dissertationis filum abrumpo. Suffecerit, hæc pro modulo ingenii in medium adduxisse. Addat his, cui volupe est, plura huc spectantia colligere, suppleat, corrigatve, qui de rerum praxi magis instructum se esse sentiat. Tanto gratius mihi erit præsentis laboris spicilegium, quo modestius virium tenuitatem, in tam amplo & tam latè se exserente campo emetiendo deficientium, deprecor lubentissime. Interim in lineis hisce ductis, & præviis DEO Immortali pro concessis clementer viribus gratiis, uti decentibus, ita devotis, speciminis hujus, inauguralis & studiorum simul Academicorum sit

FINIS.

IX.

DISSERTATIO DE PRÆSCRIPTIONE SUPERIORITATIS TERRITORIALIS ACQUISITIVA,

PRÆSIDE

MICHAELE GRASSO,

J. U. D. Serenissimi Würtemb. Ducis Consiliario, Pand. & Crim. Sanct. Prof. Publ. Ord. p. t. RECTORE MAGNIFICO,

PRO LICENTIA

defensa à

C. A. MULLERO, Megapolitano.

TUBINGÆ, 1727.

DISSERTATIONIS JURIDICÆ INAUGURALIS

De Præscriptione Superioritatis territorialis acquisitiva.

CAPUT I.

Exhibens Definitionem tam nominalem, quam realem, ut & Divisionem.

§. I.

Præmittitur terminorum evolutio.

UT in frontispicio statim eò dilucidiùs appareat, quò tendat hæc nostra disquisitio, satiùs omninò erit, terminorum hîc occurrentium evolutionem, paucis saltem, quoad fieri potest, in antecessum præmittere, aut eo quæ copiosè alias referri poterant, solummodo delibare.